1. Moehsen de passionis iliacae causis et curatione dissertatio inauguralis praes. Schultz Hala 1742
2. — de manuscriptis medicis in Bibliotheca Regia Berolin. 1746
3. — — von der Gold und Silberarbeit in den ältesten Zeiten Berl. 1757
4. .. Commentatio de medicis equestri dignitate donatis. Berol. 1769
5.

[J.C.W. Moehsen]

COMMENTATIO PRIMA
DE
MEDICIS
EQVESTRI DIGNITATE ORNATIS.

PRAEMISSA EST DISSERTATIO
DE
VERA FELICITATE E STVDIO ET EXERCITIO ARTIS MEDICAE CAPIENDA,
PHILOSOPHO AEQVE AC CHRISTIANO DIGNA.



BEROLINI, TYPIS IOANNIS GEORGII BOSSE.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

DISSERTATIO
DE
VERA FELICITATE E STVDIO ET EXERCITIO ARTIS MEDICAE CAPIENDA PHILOSOPHO AEQVE AC CHRISTIANO DIGNA.

VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

D. C. A. COTHENIO,

POTENTISS. BORVSSORVM REGIS
CONSILIARIO INTIMO ET ARCHIATRORVM COMITI,
RELIQVA,

OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA DICATA.



Thales Graecorum Philoſophus, illum hominem felicem putabat, cui corpus ſanum, fortunae & intellectus bene exercitatus, obtigiſſent. Teſtatur hoc Diogenes Laertius Cap. I. lib. I. quem de vitis philoſophorum edidit, verbis: Interrogatus, quisnam felix ſit? Qui corpore, inquit, ſanus, fortuna locuples, animo non ignavus neque imperitus eſt. Quantus, quantus ille numerus philoſophorum ſit, qui de vita beata vel de felicitate hominum, cogitationes ſuas tradiderunt, eamque determinare auſi ſunt, conceptus tamen eorum, quos ſibi de ea formarunt, maximam par-

tem inanes, nulliusque ponderis erunt, nisi antea commemoratis tribus principiis nitantur, id quod & ipsa experientia, optima rerum magistra, confirmat. Dantur & qui cum SENECA Philosopho Cap. III. libri ejus de vita beata, aliis verbis, eandem veritatem asserunt, a THALETE clariorem in modum jam definitam. Quod si ex interpretatione philosophorum recentiorum, status laetitiae haud interruptae atque continuae, felicitatem largiatur, hoc certe genus felicitatis illorum non est, quorum deliciae & sensuum oblectamenta, a corpore infirmo ac dolore vexato, iterum franguntur. Nec iis hilarem esse mentem perpetuam duco, quos victus quaerendi cura, anxie sollicitat. Deficiente vero intellectu, felicem suum statum nemo cognoscere, nemo pernoscere valet, nec sorte sua, licet felici, contentus erit. Bona enim illa, quae possidemus, absque ratiocinandi facultate, non adeo oblectant, nec veram voluptatem largiuntur. Me sentiente, gaudii durabilis status animae, dat formale felicitatis; cujus causae efficientes, bona valetudo, facultates & intelligentia, mihi esse videntur. Autor idiomatis gallici, quo ante memoratus liber SENECAE donatus fuit, in praemissa dissertatione ejusdem argumenti, felicitatem ita definivit, quod vel in virtute & cognitione veritatis, vel in fama, vel in sensuum oblectamentis lateat. Illas felicitates imaginarias esse credit, veram autem felicitatem solummodo in sensuum voluptate, cumprimis illa, quae ab amore petitur, quaerit. An non vero & sensuum delicias, spasmi hypochondriaci ærisque inopia turbabunt? Nonne dolor quidam animi vel poenitentia, quae sensualem voluptatem saepe comitatur, in unoquoque, qui mentis compos est, voluptatem ante gustatam amaram reddet? Dubito certe, num

andi-

antidotum istud, quod conscientiae morsibus autor ille adeo adaptatum praedicat, veram mentis tranquillitatem alicui unquam redditurum sit. Vile hoc medicamen soporiferum est, & palliativum, quod tentamen fugit, nec ex toto sanat. Instrumenta voluptatis, qua sensus moventur, nimio usu exolescunt, ac tempus, quo ad illa reficienda opus est, taedium affert hominibus acutis, & secum exquirentibus, quid peregerint, quod voluptates antea perceptas longe superat, idque eo magis, si morbis dolorificis & debilitatibus corporis, individuis fere voluptatum hujus generis comitibus, afficiuntur. Et quis quaeso negabit, quod ingrati affectus, morbi diuturni & voluntarii, imo subsequens mortis ipsius terror, voluptatem istam exiguam, exempli gratia gustus, valde superent, quae ab intemperato usu grati alimenti, illi autori adeo perniciosi, sentitur? Quomodo quis ulli cupiditatum generi sensus oblectanti, quotidie indulgere valet, quin corporis valetudinisque jacturam patiatur? Finge felicitatem in sensuum oblectamentis consistere, nihilo tamen minus ut illis fruamur, sanitate opus erit, nec minus intellectu, in dividendis & ita ordinandis voluptatibus, ne corpori noceant; postremo denique nec opibus carere possumus, quae usum saepius repetitum praestare valeant.

Perspicimus igitur, quod Thaletis sapientis effatum, veram felicitatem esse, sine corporis valetudine, & opibus, & ingenii robore, non posse, verum sit & exploratum. Ad hanc vero felicitatem impetrandam, praeter artem medicam, nullum fere doctrinae genus, faciliorem nobis viam monstrat. Praecipua medici cura, totumque hujus artis negotium, in eo versatur, ut corpus sanum sit, ut morbis via praecludatur, vel si jam adsint,

ut cito, ac tuto tollantur. Male sane secum ageret medicus, qui sui ipsius curae non primo prospiceret, ac ut, quantum fieri potest, ipse valeat. Nec opibus penitus carere potest. Eo usque enim jam provectus, ut artem exercere possit, is quando rem suam rite instruit, semper tantum quaestus habebit, unde necessitati suae subveniat. Quid enim homo non pro vita dat? & MARTIALE autore, non est vivere, sed valere vita. Ratio & experientia, omni tempore medicae artis integrae fulcra audiverunt: Necessarium igitur in medico requisitum illud est, ut ei intellectus insit, eoque a natura sit praeditus: hoc enim deficiente, suadeo, ut alia quacunque ratione, vitae suae necessitatibus prospicere velit. Ipse vero intellectus, continuo exercitio artis medicae viget, & acuitur. Mathesis enim, & philosophia naturalis male ignorantur, ab omnibus, qui in doctrina medica proficere cupiunt; & hae sunt istae disciplinae, quarum cognitio tanquam summe necessaria, tironibus commendanda est, ut quam diligentissime operam huic navent, eum nimirum in finem, ut in arte ratiocinandi, illiusque usu, aptiores evadant. Quantocunque enim hae secundum regulas logicas explicantur, ipsae regulae non solum utiliori modo, intellectum instruunt, propria dum experientia ideas largitur, a vocum significatione haud alienas: verum quoque de harum idearum rectitudine, eo magis convincimur, & quem usum, obveniente casu, praestare valeant, rite perspicimus. Perillustris WOLFFIUS ideo in Cogitationibus rationalibus de viribus intellectus humani §. 287. philosophiam experimentalem mirifice praedicat, quando scilicet illa eo ordine proponitur, quomodo unum ex altero meditando eruitur, continuo sensuum ac intellectus connubio. Quia auditores vel lectores, inde

sensim

sensim sensimque, ad meditandum manu ducantur, & habitum feliciter acquirant, quo propositiones determinatae a posteriori eruuntur, & nonnullarum ope, caeterae a priori demonstrantur, consequenter ratio cum experientia connectitur. Habitus iste, Wolffius pergit, non modo medicos mirifice juvat, quos eodem modo ex observationibus sapere decet, sed viris quoque politicis suppetias fert, imo omnibus ac singulis, quotquot veritates morales & politicas ex experientia hauriunt, & in negotiis suis prudenter gerendis, ex alieno casu sapere, decreverunt. Praeter utilitatem, e doctrina mathematica & physica experimentali, capiendam; anatomiam, artem chemicam, atque historiam naturalem, medico aeque prodesse censeo. Sunt enim disciplinae, quae & rationis & sensuum verum usum connectunt. Omni die machinam tractat medicus, secundum regulas mathematicas adornatam, cujus quippe structura singularis, anatomica ex arte patet, qualitates vero corporeae, e regulis doctrinae physicae atque chemicae, explicantur. In morbis contingentibus, certis e phaenomenis, judicare riteque observare debet medicus, quomodo partium functiones a statu suo naturali deflectant, unde posthaec de mutationibus adhuc expectandis, conjicere valebit. Imitatur hac in parte astronomum, qui e visis secundum certas regulas, non visa dijudicat, Remediis utitur, in sanandis morbis, e regnis naturae petitis, quorum partes constituentes ac virtutes, sensuum usu innotescunt, & arte chemica dignoscuntur. Experientia vero quotidiana evincitur, num veritates ex istis disciplinis petitae, valeant, nec ne. Hinc omni die, quid faciendum sit, ex rationibus, quas praedictae disciplinae probant, colligit, atque determinat. Eo nexu, intellectus in medico,

quoti-

quotidiano exercitio occupatur, & schola mundi, consuetudine perpetua cum hominibus diversi generis, medicum de variis rebus instruit, quae usum praestare valent; dum & meliori modo animorum indolem, prae caeteris hoc pacto scrutatur, atque tempora & personas, dignoscere discit.

Jam ubi de felicitate cognovimus, quaenam illa sit, & quo jure medicus hanc sibi vindicare possit, non sufficit de possessione qualitatum a Thalete praedicatarum gloriari, & se ipsum felicem existimare, dum molestiae atque incommoda, quae praxis medica habet, aliquo modo cognitis praemissis, tolerabiliora redduntur. Tantum non, me judice, haec aeque grata sunt, ac ille status, in quo degimus, aptique reddimur, ad praestanda opera amoris proximi, verae amicitiae, liberalitatis, misericordiae, gratitudinis, officiaque alia, cum animo generoso, proximo bene cupiente, & re vera tali, quo nimirum concivibus nostris, iniquiori a fortuna depressis, succurrimus. O quam grata laus erit illi, qui generis humani atque societatis adeo utile membrum dici meretur! Certe generosus iste, cordique blandus affectus praedicandus, quo de felicitate in proximum collata, ipsi convincimur, factumque nostrum sentimus; tale, inquam, factum, quo vitam ejus tuemur, quo fidum auxilium huic praestamus, quo consiliis salutaribus, a tramite periculoso, alterum avertimus: neque solum corpori, ut bene valeat, sed & menti saepe medemur, ut meliora cogitet, atque tranquilla reddatur. Medicus humano generi serio favens, occasione non destituitur, quam maxime opportuna, qua eximias has virtutes exercere queat; dum munere suo jubente, non solum quotidiana miserorum consuetudine utitur, sed & prae multis, de infelici eorum statu certior reddi-

redditur, unde & hos, quo meliori modo juvare possit, cognoscit. Quantum quaeso non prodest miseris laborantibus, dum opera sua, admonitione atque consilio prudenti, nec minus impendendo officia quaecunque desiderata, miserum illorum statum, quantum fieri potest, tolerabiliorem reddit eosdemque solatur. Agnatorum atque domesticorum mentes, saepius adeo perterritae sunt; ut quae aegroto conducant illumque reficere queant, vere ignorent, nec mente attingant: aegrotus ipse variis malis confectus, sibi non constat, moestus est, plenusque timoris; & aegro adsidentium, qui solamen afferre deberent, saepe animus plane dejectus est, ipsique solatio indigent. Hic locus ille est, qui amorem proximi, & cordis sinceritatem provocat. Instruuntur domestici, quid audendum sit, ut aegroti status leniatur. Patientiae virtus commendatur in antecessum, eo imprimis casu colenda; quo aegrotantis morositas, & mens obstinata illud efflagitaret, ut imbecillitati ejus parcatur: vel quoque ipsi ad toleranda quaevis incommoda, quae in aegrotorum cura & adjumento contingunt, praeparantur. Aeger vero, tam argumentis a ratione petitis, quam etiam cum nos ipsos, misericordia sui commotos videt, officiis & curis nostris facilius erigetur. Malum enim quod patitur, pro dimidia parte lenitur; quia fiduciam in medico habet: illiusque amicitiam, cum amore conjunctam, agnoscit. A moerore depressis amicis & propinquis, tot argumenta solaminis causa, suppeditantur, quot pro re nata percipere valent, ut & absente medico, illum sublevare, ac aegroti animum a dolore turbatum, sedare, & cum ratione adhortari valeant. Quod si porro singulis his dotibus, solida doctrina cum applicatione conveniente jungitur,

mirandum non erit, quando honorati & nobiles, animo liberali & grato praediti, sine respectu conditionis suae, medicum vera amicitia & cultu suo dignum existimant, dum auxilii ab eodem praestiti, commodum & dignitatem perspiciunt. Gaudium, quo mactatur medicus, fidumque pectus suum alit, dum officia humanitatis & artis suae, erga aegrotum, miserum & aerumnosum, aequo animo & pari cura, quam erga divitem & honoratum vel principem, feliciter impendit; omne taedium, & incommoda, quibus medica praxis scatet, facile superabit. Verba enim hominis, miseri quidem & infelicis, sed pii & bonae mentis provida artis cura sanati, cui prae gaudio & pietate, in referenda gratia lacrymae manant, magis semper animum benefici & generosi medici, grata laetitia commovent, quam dona divitis tumidi, qui ingrato pectore, omnem operam, solummodo nummis compensare nititur; talemque mercedem, saepe avara & tenaci manu, praebet. Medicus sapiens, non facile praerogativis procerum & divitum, invidebit. Quoties in generationis negotio perscrutando occupatus est, ac eandem hominum primam originem, idem primum habitaculum, primosque eorum vagitus perpendit; quoties horrendum morborum evolvit catalogum, qui genus humanum sine discrimine infestant; quoties exstinctorum corpora lustrat, eandemque fragilem machinae fabricam intuetur, similes inter se esse homines forma & natura perspicit; & praerogativam eorum, in casu & fortuna positam esse, intelligit. Verum quidem est, quod proceres & divites, unico verbo saepius infelici cuidam, succurrere valeant; ast o quam raro, hi fortunae suae dotibus, eum in finem utuntur! Ut plurimum custodiendo fortunas suas, excubias agunt,

agunt, quo fit, ut ab affectu interno laetitiae cordis, super praestito aliis auxilio, & impertita felicitate, nullo vel raro tangantur, quo tamen ex affectu, verum gratissimumque fortunae pretium, unice cognoscitur.

Omnis in hoc mundo hominis felicitas, cum vita decedente, expirat. Mors inevitabile illud fatum, non solum iis, qui sola mundana felicitate ducuntur, maximum terrorem incutit, animique tranquillitate illos privat; sed quoque constantissimam saepe mentem, & obfirmatissimum pectus frangit, anxietatibusque implet & torquet. Hinc jam philosophorum antiquiorum numerus, mortem lenem & placidam, tranquilla mente acceptam, felicitatibus annumerabat. Negari nequit, mentem bene salutaribus principiis instructam, in duro hoc luctamine mortis, multum prodesse, ut animus tranquillus maneat, verum tamen ad id facilius ferendum, exercitata quoque mente opus erit, & in hac medicus caeteris omnibus praestat. Quis enim animo forti & ad amicitiam applicato, praeditus; amico ex hac vita discessuro, ad ultimum vitae, praesentiam suam, consilium, opemque desideratam, negabit? Quaenam vero ratio subesse poterit, cur medicus, qui cum aegrotis tanquam amicis suis infelicibus agit, hanc opem recusare nec adesse velit, illo nimirum tempore, quo vel fato fungens illiusve cognati, praesentiam & consilium ipsius efflagitant. Quod si nihil neglectum, sed remedia justa, & consilia quaevis operose adhibita dataque fuerint, quantum ego possum perspicere non intelligo, cur non medicus naturae debitum reddenti, singularem fidem in hisce periculis, praebere vellet? Experientia & ipse sum edoctus, quantum medici praesentia, & consilium, illo in casu valeat, ad levandum animum moribundi,

bundi, & erigendas mentes eorum qui hunc circumstant; si tunc temporis, oratione decente & consolatoria, ac blando alloquio, ad obtinendum illum finem, utitur. Medicus enim de statu religionis infirmi, aeque ac de temperamento aegroti sui, ex iis quae durante morbo contigerunt, & in ipso aegroto apparuerunt, meliori modo instructus esse valet, quam quisquam alius: hinc & optime novit argumenta solaminis afferenda, quae jam discessuri animum, confirmare queant. Lectus certe feralis, & religionis & sapientiae schola, recte dicitur. Hujus in adspectu contingit nobis, ut de variis rebus, utpote de nexu corporis cum mente, item de praestantia veri & non infucati christianismi, nec non de usu practico solidae philosophiae, & de virtute prudentioris & magis confirmati animi, ad vincendum dolores, atque corporis motus quoscunque violentos, conjicere valeamus; quamquam haec hujus loci non sunt. In hac schola docemur, in medio vitae nostrae cursu, eo dirigere mentem; ut ad certamen hoc ultimum parati, tranquillo cum animo, veraque in Deum fiducia, ex hoc mundo discedere possimus. Nam veritate nititur, quod morientium aspectus, quantopere licet, pectus tenerum animumque mitiorem frangat, efficere possit, ut mundi hujus felicitatibus parum obstricti, summa cum tranquillitate animi, vitae nostrae finem, vel adventantem vel obrepentem, sine metu, in flore quoque aetatis, expectare queamus. Medico, in frequenti artis exercitio constituto, ansa datur cogitationibus istis, de vitae hujus felicitate transitoria, prudenter conceptis, vacandi; quibus animum suum adeo confirmare valet, ut omnia, quae ipsi contingere possunt, intrepida fronte expectet. Ipsi morbi mortis praecones, haud terrent, tolerabiliusque

que redditur huic malum, qui ſe ita compoſuit; praeterea naturae ſuae genium perſpectum novit, optimaque remedia ſeligere ac ſibi tribuere valet. Experientia, quam ſuum ipſius corpus largitur, artem quoque ſuam auget utilioremque reddit; quia & in ipſo medico ardorem excitat tanto majorem, juvandi alios, corporis infirmitate laborantes.

Prae caeteris medico datur facultas, de Deo tanquam ente ſummo, ſublimiori quovis modo cogitandi. Phyſicus atque Philoſophus, res ab illo creatas immenſamque ſapientiam, qua ſingula ordinata videmus, contemplatur. Medicus vero, qui ſimul Phyſici ac Philoſophi munere fungitur, magis ſingulari nobiliorique cognitione hominis praeditus eſt, & de illarum creaturarum indole ratiocinatur, quae ad imaginem Dei, ut ſacra cum Scriptura loquar, conditae ſunt, in quibus quippe producendis, Summi Numinis ſapientiam infinitam miratur, qua opus tale artificioſiſſimum, oſtendere valuit. Nec minus ſingularibus & mirificis providentiae divinae ductibus, aegrotorum conditionibus variis & incredibilibus ſaepe caſibus, medici quotidie ad pias cogitationes deducuntur. Haec ſunt ea, quae inter alia de vera felicitate, e ſtudio & exercitio artis medicae acquirenda, mihi perſuadeo. Fatendum mihi eſt, quod per integrum illud temporis intervallum, quod viginti quinque fere annos implet, quibus praxin medicam exercere mihi licuit, moleſtiſſimis & ingratis in caſibus, hae cogitationes mihi levamento fuerint, & fractum ſaepe animum placarint; nec dicere valeo, quod ſtudium medicum me elegiſſe unquam poenituerit.

Verum equidem est; Commentatio de medicis equestri dignitate ornatis, mox secutura, cujus primam partem pro tempore in lucem emitto, talis non est, quae juvenem, ad artis medicae studium se conferentem, e principiis philosophicis, de eligendo hoc studio convincere, & ad illud tractandum movere possit, sed honorum potius dignitate perpensa, eosdem allicit. Quam raro autem accidit in juvene, ingenio & arte valente, ut rationibus philosophicis convictus, ulli scientiarum generi cum ardore operam navare velit! Quae nitent, oculosque feriunt, utplurimum praeferuntur. Hunc scopum intendit praedicta Commentatio, quae simul historiam litterariam medicam, eamque de Ordinibus equestribus, variis modis auget, illustrat atque emendat. Opus est mere litterarium. Honores, ac dignitates medicis in ornamentum datas complectitur, tales nimirum, quae praecipue animos honoris cupidos, & mentis alacritate praeditos, delectare valent, licet sapientiae Medici Philosophi, nihil tribuant. Quantae utilitatis sit ardor ille, qui mentes tenet gloriae cupidine incensas, in addiscendis bonis artibus, nulla probatione hoc loco indiget. Non diffitendum erit, quod a fortuna rerumque nexu quodam; ut & a dispositione Principum & Dominorum terrae cujusvis, in ordinandis praemiis pendeat, si qui horum honorum, quos Commentatio praesens complectitur, ad aliquem pervenire debent: cum non, ut apud Nobiles, nativitatis origini, sive, ad modum studii Juris ac Politicae, ipsis scientiis aliqua ratione adhaerent, sed meritis prorsus singularibus, moribus a plebe distinctis, zeloque haud communi, acquiruntur. Interea adductis infra exemplis probavimus, re-

cen-

centiori quoque aevo, Reges & Principes extitiſſe, qui medicorum operam praemiis ornare voluerunt. Mirifice ſane delectarer, ſi commentatio ſequens, generoſa quaedam ingenia, laudisque obtinendae cupidas mentes excitare poſſit, ut ſummo cum zelo, indefeſſa geminaque opera, medicinae ſtudio ſe darent. Nec minus honorem facultatis medicae, ejusque ſplendorem valde augeret, ſi juvenes nobili ſtirpe nati, honoratiorum filii, ſed quod primo loco monendum, ingenue liberaliterque educati, ad artem medicam frequentius ſe transferrent, ut non inſolenter in aliis terris, praecipue in Magna Britannia evenire ſolet. Optandum enim eſſet, ut artis ſtudioſi non Apollinis & Aeſculapii ſacra, niſi remotis omnibus praeconceptis opinionibus, atque affectibus, inprimis vero corde ab omni invidia & livore libero adirent; quod facilius, ſollicita & ingenua educatione, quam multis ſtudiis & artibus, obtinetur. Homines enim litteris multis praeditos, & variarum rerum ſcientia praeclaros, invidia ſaepius premi, ex ſcriptis & factis eorum, in hiſtoria litteraria recenſitis, intelligimus.

Praecipuum hoc ſane requiſitum medici eſt, ne ex invidia laboret, nec eruditione ſua aliquali fretus, arroganter de ſe ſentiat, aliosque prae ſe neminem putet. Qui enim mirifice de ſe, & de aliis contemtim loquuntur, ad ludibrium recidunt, imo ipſi arti ſalutari contemtum pariunt.

Satis enim ſuperque conſtat, nec medicam artem iis deſtitui viris pravis, qui illam deſpicatui habent, & eximia & acuta ingenia, imprimis ex nobili genere orta, ab artis ſtudio variis argumentis abducunt. Inter alia invidiae ſuae argumenta, hoc quoque utuntur, ut

con-

contendant, quod ne peritissimus quidem ad illius generis dignitates & munera honorifica adspirare queat, quales obtinentur ab illis, qui Juris studio vacant, vel in regionibus Catholicorum, ut & nonnullis Protestantium regnis, nimirum in Anglia, Suecia, Daniaeque regno, Theologis dantur. Porro & ipse contemtus, quo perperam sic dicta ingenia heroica; vel potius illa, quae omnem sibi vindicant sapientiam, medicos prosequuntur, multum artis aestimationi detrahit. Modus eorum loquendi & sentiendi de hac arte, dum felicem vitam vivunt & bene valent, efficit, ut & alii, qui judicio, & rei cognoscendae robore carent, & verum a falso discernere nequeunt, ab his accepta opinionum commenta repetant, artisque contemtus tali modo plurium animos ingreditur. Nec desunt vafri derisores, qui, ut spiritum suum satyricum ostendant, artem quam ignorant, cujusque utilitatem ob defectum judicii, perspicere haud valent, per risum & jocum contemnunt. Cui vero non liquet, jam suo tempore Henricum Cornelium Agrippam, Franciscum Sanchez Lusitanum, aliosque quam plures, ostendisse, quam leve sit opus, scientiis quibuscunque maculam inurere, risuique easdem exponere, qui tantum non argumentorum glaucomatibus variis, solidum istud, quod quaevis doctrina habet, petere atque subvertere studuerunt. Quanta non temeritate Petrus ille Aretinus utebatur, qui stylo suo satyrico & petulanti, nemini homini, nedum personis parcebat, in summo dignitatis & honoris fastigio degentibus? Certe ultimum illud genus contemtus, quod patitur medicina, donec mundus finietur, ferendum erit. Maxime vero contemtus accusandus est, quo medicina pariter, ac ipsi medici excipiuntur, ex eo,

eo, quod vulgus vera eſſe, quae hinc inde ſparguntur, firmiter credat, eoque magis, quando haec a viris oriuntur, quos vel fortunae conditio, in altiſſimo dignitatis gradu, collocavit, vel quos eruditionis fama conſpicuos reddit. Haec enim cauſa eſt, cur ſaepius & ingenia vel feliciſſima, eaque, quae animi ſenſorum nobilitas cum morum probitate decet, artem hanc fugiant, in qua multum prodeſſe potuiſſent; & alii, qui eandem jam profitentur, leviori animo diſciplinam tractent, nec illam impendant operam, quam navaſſent, ſi ars majori in pretio haberetur. Nec minus ejusmodi commenta, in aegrotorum animum & conditionem, ſaepe infeliciter influunt. Fiducia enim in medicum ceſſante, aliter fieri nequit, quam ut in tradendis & applicandis artis praeceptis, vana moliatur etiam idem hicce, cum praeceptis ſuis aegroti non rite obſequuntur, quia de praeſtantia artis ambigunt.

Scientiae & artes, magnum incrementum inde ceperunt, quando praemiis & honoribus mactati fuere, qui illis promovendis vel exercendis, operam ſuam locarunt. Cum itaque magnus quidam philoſophus, medicis exprobaret, quod ab Hippocrate usque ad noſtra tempora, parum incrementi medicinae acceſſerit, regeſſerunt alii, hoc rem admiratione adeo dignam, nemini videri poſſe: ſiquidem illo tempore medici, deorum numero adſcripti, multisque honoribus celebrati fuiſſent, cum poſtea indignis modis deludificati eſſent. Quod autem primo loco monendum, nondum eſt res certa & conceſſa, arti nulla ab Hippocratis tempore acceſſiſſe incrementa, cum tot inventa phyſica, anatomica, phyſiologica & chemica innotuerunt, quae theoriam artis undequaque emendarunt, ſed & practicae

C obſer-

obſervationes optimorum medicorum, nec non remedia ex novo orbe ad nos allata & alia, augmentum magni ponderis dederunt. Patet inde, quod ejusmodi inſimulationes nemini, niſi in ſumma hiſtoriae medicae ignoratione verſanti, in mentem incidere poſſunt. Commentatio noſtra quoque docebit, quod medici non ubivis locorum, aequo modo deſpectui habiti fuerint, teſtabiturque, quod ordini huic ſubjecta docta & in arte peritiſſima, non defuerint, a quibus reſpublica, ſi congruus locus illis datus eſſet, ſaluberrima quaevis officia exſpectare potuerit. Quod ſi quis regerere velit exempla §. XXIII. XXIV. & XXV. a nobis adducta, fuiſſe quidem de medicis arduis muneribus praefectis, & inſigni honore ſimul mactatis, cum tamen in fungendo tali munerum genere, ſcientia medica nulla opus haberent. Huic reſpondeo, occaſionem nihilominus dediſſe ſtudium medicum, ad acuenda ingenia ſua, ad confirmandas judicii vires, & augendam notitiam, de rebus in mundo accidentibus, quam quippe notitiam converſatio cum maximae dignitatis proceribus variaeque conditionis hominibus largitur, quam caetera doctrinarum genera quaecunque, praeſtare non valent. Iis vero medicorum e numero, qui ſibi perſuadent, merita ſua non pro dignitate remunerata eſſe, ſententiam philoſophi cujusdam, ſolaminis praebendi gratia commendo, quando hic profert: quod Principes hominibus aeque ac monetis uti ſoleant, quibus pretium pro lubitu adſignant, quod illis ex mandato, non vero interno valore ſtatuendum. Nihilominus qui virtutem monetae internam noverit, hunc, ait, eandem ex nobilitate veri pretii aeſtimaturum.

Sed propero ad finem hujus diſſertationis, & cum tenore Prooemii, hoc ſcriptum jam ante intervallum latius

tius quindecim annorum, calamo meo excidit, nunc vero revisum & novo supplemento auctum fuit, quo desiderante illud Perillustri Praeside & Consiliario intimo, *D. D.* Büchnero, Appendici Tomi III. Novorum Actorum Academiae Naturae Curiosorum, addatur; numerus aliquis exemplarium in Mœcenatum, Fautorum & Amicorum gratiam separatim & meis sumtibus prelo excusus fuit. Singulis istis exemplaribus Dissertationem praesentem, de vera Felicitate e studio medico capienda, Philosopho ac Christiano digna, praemisi, atque §. XXIII. XXIV. XXV. & XXVI. in fine operis addidi.

Quo autem vir illustris excellentissime publicum documentum, magnae de te opinionis, observantiae & reverentiae meae darem, libertate illa simul usus sum, ut tibi, has paginas consecrarem, idque in tesseram cultus, venerationis & ad gratitudinis obsequium, tibi obstricti mei animi; quod ut facerem, jam dudum animo meo decrevi. Novi generosum illum ratiocinandi modum, quem, vir illustris et excellentissime, in studio & exercitio artis medicae ostendis, cum & medici christiani, philosophi practici, amici veri, & non infucati officia, summa cum cura exples. Ex his persuasissimum habeo, hanc qualemcunque dissertationem, tibi merito & optimo cum jure, a me tribuendam fuisse. Vale ex voto, & mihi porro fave, tuaque fide dignum serva. Nullo sane tempore, illustris tui nominis verum me esse cultorem, unquam diffitebor.

Berolini, d. XXX. Mart. MDCCLXVII.

MOEHSEN.

CON-

CONSPECTUS COMMENTATIONIS I.

PROOEMIUM.

Instituti ratio, ac Perillustrem Academiae Naturae Curiosorum Praesidem editionem commentationis jam ante aliquot annos demandasse, explicatur.

§. I. *Commentatio orditur a Medicis equitibus apud Romanos, praecipue de Antonio Musa.*

§. II. *Conditio equitum Romanorum exponitur.*

§. III. *De aliis dignitatibus, medicis apud Romanos interdum collatis.*

§. IV. *Dignitatis equestris apud Christianos, differentiae enarrantur, & ordinum equestrium S. Iohannis, Teutonici, S. Lazari & aliorum, praecipuum officium, aegrotorum curam olim fuisse, attingitur.*

§. V. *De institutione Ordinis S. Iohannis Hospitalium in Hierusalem s. Ordinis Melitensis, & de Medico equite, & de alio quodam Presbytero hujus ordinis, nec non de Fratribus servientibus.*

§. VI. *Medici equites S. Sepulchri Hierosolymitani recensentur, & de Ordinis origine differitur.*

§. VII. *De Ordine S. Catharinae in monte Sinai, & Equite medico hujus ordinis.*

§. VIII. *Ordo equitum crucis cum Stella rubra describitur.*

§. IX. *De Medicis Commendatoribus Ordinis Sancti Spiritus in Saxia, Romae, cum ampla commentatione hujus instituti.*

§. X. *Ordo S. Christi in Portugallia describitur, & Medici equites hujus ordinis recensentur.*

§. XI. *Historia Ordinis S. Michaelis in Gallia.*

§. XII. *De Medicis equitibus hujus ordinis.*

§. XIII. *Chirurgi recensentur, qui ob merita praeclara hoc ordine ornati sunt.*

§. XIV. *Quaedam de Ordine S. Ludovici, & de occasione recensionis hujus ordinis.*

§. XV. *De Ordine Beatae Mariae Virginis a Monte Carmel & S. Lazari.*

§. XVI. *Novus ordo Sti Rochi, tempore pestis a Duce Aurelianensi s. Regente institutus, exponitur.*

§. XVII. *De Ordine Periscelidis, occasione honoris singularis, qui collegio medico Londinensi non ita pridem ex equitibus duobus hujus ordinis, Ducibus de Montague & de Richmond affulsit.*

§. XVIII. *De Medico Praesule hujus ordinis, aliisque ordinis ministris.*

§. XIX. *Equitum Baronettorum in Anglia institutio, & vera conditio depingitur.*

§. XX. *Medicorum, Equitum Baronettorum catalogus, & recensio.*

§. XXI. *Quaedam de Equitibus de Balneo.*

§. XXII. *Exponitur novi ordinis Stellae polaris institutio in Suecia, qui subditis & eruditis bene de patria meritis tribuitur, nec non de Medicis celeberrimis hoc ordine ornatis.*

§. XXIII. *De Ordine electorali quidem, qui vero regio sub sceptro plurimum splendoris nactus est, scilicet de Ordine qui a Generositate nomen habet, & de Medico legato, hujus ordinis equite.*

§. XXIV. *Occasione §phi praecedentis de Medicis, qui legatorum munere interdum functi sunt, differitur.*

§. XXV. *Nec minus de Medicis, qui in aliis officiis politicis & publicis, diverso modo inclaruerunt.*

§. XXVI. *De progressu artium & scientiarum ex Italia in terras septentrionales. De quibusdam Aesculapii, Hygieae, & Hippocratis Statuis.*

D. IO. CAROLI VILELMI MOEHSEN,

COLLEGII MEDICI IN TERRIS POTENTISS. BORVSS. REGIS SVPREMI, VT ET COLLEGII SANITATIS, AC CAESAREAE ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM MEMBRI, ACADEMIAE NOVAE EQVESTRIS, ET SCHOLAE MILITARIS GENEROSAE IVVENTVTIS, QVAE CADETTEN - CORPS VOCATVR, AC GYMNASII REGII IOACHIMICI MEDICI ORDINARII,

DE

MEDICIS EQVESTRI DIGNITATE ORNATIS.

COMMENTATIO PRIMA.



B. Rode inv. DEMOCEDES CROTON. Herodot. L. III. J. W. M. sc.

PROOEMIVM.

In Imperiis, publicisque rebus illis, in quibus artes ac bonae litterae aliquo habentur numero, & ubi magna ingenia, quae quidem aemulatione ac honore imprimis excitantur, non deficiunt, ab antiquiſſimis inde temporibus mos invaluit, ut ii, qui praecipua prae reliquis meritorum fama fulgent, vel de republica bene meriti ſunt, certis quibusdam beneficiorum ſignis ornentur, & ab aliis diſtinguantur. Graecorum aeque ac Romanorum gens, e qua, aevo antiquiori, praeſtantiſſimorum ingeniorum coetus prodiit, ſatis intelligebat, quam parum artibus atque ſcientiis pro-

vehendis consultum foret, si artis periti pariter ac rudes, docti ac indocti, eodem vitae genere, eisdem meritis digni censerentur. Multo minus id agebat utraque gens, ut artes despectui haberentur, vel homines inconditae mentis, ac litterarum plane expertes, civibus dignioribus anteponerentur. Haud fugiebat Reges, Principes, ac Magistratus eorum, quanta scientiis e praemiorum muneribus, tributisque honorum ac praerogativarum insignibus, incrementa enasci queant. Quippe quibus latiorem in modum propagantur, quam si contemtis aut parvi habitis viris eruditis, instinctus generosae cuiuscunque mentis in arte quadam excellendi, suffocatur, & ardor, aliis vel reipublicae inserviendi, prorsus exstinguitur. Quare patres patriae, pro animi candore, quo illam amplectebantur, gratoque in cives suos bene meritos animo, saepius indigentibus, e communi aerario succurrebant, & praemia largiebantur. Alios, ut alimentorum reique familiaris cura ac sollicitudine vacarent, neve otio carerent, quod augendis artibus impenderent, sumtibus reipublicae alebant. Adhuc aliis, a rerum egestate haud afflictis, meritisque singularibus ita praeclaris, ut illorum memoria posteris servanda esset, statuas erigi, inscriptionibus eosdem ornari, nummosque in illorum honorem cudi, iusserunt; neque raro in gemmis eorum imagines posteritati commendatae cernuntur.

Iam antiquissimis temporibus insigne illud commodum, quod e re medica in vitam civilem redundat, animos civium et procerum movit atque oblectavit, uti luculentissima documenta monstrant. Statuis enim positis, inscriptionibus, atque nummis, in Medicorum honorem editis, nulla caruit aetas, in quibus exponendis aliud commodius tempus, operae meae servabo. Verum enim ut fatear, artem, quam exerceo, impense colo, semperque aestimabo, non ignorans, quae & quanta ad Medicum perficiendum pertineant. Avidius ergo ea, in

horis

horis subsecivis, legi & animadverti, quae in artis honorem, ex antiquiorum & recentiorum monumentis, memoriae prodita sunt. Non desunt quidem prave morati, qui male de hac nobilissima scientia sentiunt, & contumeliose contra Medicinam, Medicosque omnes verba faciunt, dum obscurae tantum conditionis, humillimaeque sortis homines medicinam facere & fecisse garriunt. Silebunt vero, cum legent, nobilissimos saepissime viros, majorum laude insignes, propriaque virtute & doctrina commendatissimos, neque infimo, sed summo genere editos, medicinam faciendo, scientiam utilissimam extulisse. Nec ingrata fuit ars Apollinea, dum sibi deditos, ipsamque profitentes, non raro ad magnos honores evexit, & virtutis praemiis decoravit. Quod quidem gravissimis testimoniis probari potest.

In praesentia solo honore fruor, orbi erudito Commentationem praesentem, *de Medicis equestri dignitate ornatis*, communicandi, quae docebit, quod non solum barbaries illa communis, scientias premens, certo quodam honoris genere, eruditis impertito, profligata fuerit (id quod praecipue eo loco, ubi de Equitibus auratis sermo erit, uberius subiiciam) verum quoque nutu ac providentia Imperantium sapientissimorum, recentiori aevo contigisse ostendam, ut ardor ad amplificandas artes, honoris propositi cupiditate incensus fuerit, dum viri meritis conspicui, certis honorum beneficiis mactati fuerunt. Commentationem hanc, una cum aliis ad Historiam medicam pertinentibus scriptis, iam abhinc spatio quindecim annorum delineavi, & in chartam conieci, plus tunc temporis otii nactus, quod Antiquitatum & Historiae litterariae studio impendi posset; verum tamen operi colophonem non imposui, donec nunc admonitus, coeptum laborem redausricatus sum. Ast labor iste, quem praxi medicae praesenti tempore impendere cogor, me impedit, quo minus integram

Commentationem iusto temporis articulo, quo prelum opus subit, perfectam dare valeam, quapropter quod reliquum est operis adornandi, in aliud tempus differo. Ipsum argumentum, a dignitate equestri, apud Romanos, tanquam instituti origine, initium capit. Licet enim nonnulli ortum dignitatis equestris nimis longe petant, dum illam ab Ordine equestri apud Aegyptios derivant; ac *Iosephum*, Ordinis equestris Pharaonitici Magistrum fuisse fingunt; alii quoque e loco apud TACITUM probare annitantur, dignitatem hanc antiquis Germanis originem debere: adeo levi tamen nituntur fundamento, ut temporis iacturam me fecisse duxerim, si de illa re prolixe differere vellem. Quemcunque fabulosa longeque petita narratio de Ordinum equestrium institutis delectat, in HONORATI *de* S. MARIA *Dissertationibus historico-criticis*, *de Dignitate equestri*, praecipe in quinque prioribus huius argumenti Dissertationibus, quod cupit, inveniet. Mei vero instituti non est, in prolixum hic excurrere campum earum rerum, quae praeter rei tractandae nervum & veritatem, ad ipsam Commentationem operis haud spectant, cuius argumenta, quoad eius fieri potuit e fontibus genuinis optimae indolis petita, paucis adduxi. Eadem ex ratione, Lectoribus fretus, quos artis medicae historia non plane latet, Biographicis allegatis parce usus sum, brevibusque solummodo attigi ea, quae a Biographis vulgo notis neglecta sunt.



§. I.


J. W. Meil inv. et fecit 1768.

§. I.

Cum Iulius Caesar, suo iam tempore, medicae artis peritos, maximam partem Graecorum e gente natos, iure civitatis Romanae *a*) donasset, eo nimirum consilio, ut maiorem numerum virorum hac in arte eruditorum Reipublicae Romanae acquireret; Augustus Imperator, generosa mentis suae indole, gratoque in Medicum suum *Antonium* Musam animo *b*) ductus, postquam a gravi & periculoso

a) Suetonius in *Vita Iul. Caesar. Lib. I. Cap.* 42. „Omnesque medicinam Romae professos, & liberalium artium Doctores, quo libentius & ipsi urbem incolerent, & caeteri appeterent, civitate donavit.

b) Dio Cassius *Lib. LIII.* „Antonius vero Musa, quum nihil Augustus eorum, „quae maxime ad sanationem opus erant, posset facere, lavacris frigidisque potionibus eum sanitati restituit: quam ob rem etiam pecunia ei ab Augusto & Senatu „multa, usus que annuli aurei (libertus enim erat) datus est, immunitasque non ipsi „modo, sed omnibus eandem artem exercentibus, in posterum quoque tempus con„cessa“. Idem DIO *Lib. XLVIII.* „Apud antiquos Romanos, non modo liberto, „sed

culoſo morbo ſe, illius ope, liberatum ſentiebat, Equitum Romanorum numero eundem adſcripſit, tantum non iisdem praerogativis, quibus Equites Romani gaudebant, ornavit. Inter alia enim beneficia, quibus illum cumulavit, iure ac libertate potitus fuit, aureum geſtandi annulum *c*), iure, inquam illo tempore ſolis Equitibus Romanis proprio. Dignitas haec tempore AUGUSTI ſplendida admodum, multoque honore inſignis fuit; id, quod PLINIUS in Libro infra adducto *d*) prolixe teſtatur, additque, ab Imperatore TIBERIO ſancitum fuiſſe: ne cui ius id eſſet, niſi cui ingenuo ipſi, patri avoque paterno, quadraginta Seſtertia cenſus fuiſſet; quae ſumma noſtro aere, calculo Gronoviano computanda, 12500. Imperialium, vel ex computatione Harduiniana, 40000. Livres numerum abſolvit; ex EISENSCHMIDII calculo, qui in computandis Seſtertiis aliam rationem iniit, ter decies mille, trecentos triginta ſeptem unciales, ſeu Thaleros numeramus. Ubi ſequentibus temporibus nonnulli, e gente Romanorum illuſtri, artem medicam exer-

„ſed nec ingenuo quidem ulli, aureo annulo uti licebat, niſi Senator eſſet aut equeſtris ordinis."

Quod MUSA non libertus, ſed ingenuus fuerit, probavit CRELLIUS *in Diſſ. de Antonio Muſa* § V. *p.* 12.

Commentatores nonnulli, Scriptorum antiquiorum interpretes, rem ita ad mentem DIONIS, explicant, quod AUGUSTUS non tantum Medicos eo tempore viventes, ſed & omnes huic arti operam daturos, equeſtri dignitate donaverit. Vid. COELIUS *Rhodiginus*, *Lect. antiqu. Lib. II. Cap.* 12. „Conceſſum & idem iuris non praeſentibus modo, ſed & futuris, qui ſe Medicos profiterentur." Hoc certum eſt, quod AUGUSTUS immunitates inſignes dederit, quae ſub Imperatoribus ſequentibus ſtabilitae non ſolum, verum & magnis incrementis ornatae fuerunt, adeo ut certus in civitatibus Medicorum numerus definiendus eſſet, ob nimiam eorum multitudinem, qui, captandi commodi ac immunitatis ergo, huic arti ſe ſe mancipaverant. Vid. B. BRISSONII *Antiqu. ſelect. Lib.* 2. *Cap.* 3. Magna cum cura & induſtria, privilegia & immunitates inſignes Medicis ab Imperatoribus tributa, recenſuit & explicavit *Henr.* LAMPE I. U. D. in Diſſ. hiſt. iurid. *de Honore*, *privilegiis & iuribus ſingularibus Medicorum*. Groeningae 1736. 4to maj. quae alphabetum cum dimidio excedit.

c) Vid. *Greg.* LONGUS de *Annulis ſignatoriis antiquorum*, *Cap. V. p.* 32. & SUETONIUS variis in locis.

d) PLINIUS *Hiſt. Nat. Lib.* XXXIII. *Cap.* 1. & 2.

exercuerunt, Imperatorum gratiam ea re sibi conciliarunt: quos inter, PLINIO teste *e*), *Cassii*, *Calpitani*, *Arruntii*, *Albutii*, & *Rubrii* fuerunt, quibus *Acilios*, nonnullosque alios, addendos existimamus, ex diversarum familiarum Romanae gentis, nummis, inscriptionibus, aliisque monumentis explicandos, facile inde coniicitur, quod eadem dignitas tempore sequenti ad plures pervenerit, quorum nomina numquam posteris innotuerunt. Poterant eadem tanto facilius contingere, quanto magis constat, quod TIBERII & Imperatorum sequentium aetate, multi Medicorum magnis opibus valerent, adeoque requisitis omnibus, ad equestrem dignitatem, ex lege TIBERII exercendam, haud essent destituti. Ipse PLINIUS loco allegato refert: Cassiis, Calpitanis, Arruntiis, Albutiis, Rubriis CCL H-S. (i. e. ducena quinquagena) annua mercede fuisse apud principes; quae merces secundum computationem Harduinianam, summam 25000. Livres includit. Q. vero *Stertinius* (pergit PLINIUS,) imputavit principibus, quod H-S. quingenis annuis, seu 50000. Livres, contentus esset. Sexcena enim, seu 60000. Livres, sibi quaestu urbis fuisse, numeratis domibus, ostendebat. Par & fratri eius merces a CLAUDIO *Caesare* infusa, censusque quanquam exhausti, operibus Neapoli exornata, heredi Sestertium trecenties centena millia (i. e. tres milliones librarum monetae gallicae,) reliquere, quantum ad eam aetatem, Arruntius solus. PLINIUS eodem loco refert, quod *Crinas* Massiliensis, qui medicae arti & studio mathematico operam navaverat, centies centena millia Sestertium, seu millionem librarum gallicarum, reliquisset, muris patriae, moenibusque aliis non minori summa exstructis.

§. II.

In gratiam eorum, qui in antiquitatibus Romanis non satis versati sunt, & sibi forte persuadent, ordinem equestrem Ro-

e) PLINIUS *Lib. XXIX. Cap. I.*

manorum ſolummodo militarem, equitesque peditibus oppoſitos fuiſſe; vel quibus abſona res eſſe videtur, quod illo tempore dignitas equeſtris Medicis tributa fuerit, neceſſe erit, ut in originem atque indolem dignitatis huius apud Romanos maiori cum ſtudio inquiramus. Cives Romani, gentilitio hoc atque nativitatis nomine mere conſpicui, in Patricios & Plebeios diſtinguebantur, poſtea vero reſpectu ordinis & dignitatis in republica, quidam Ordini Senatorio, alii equeſtri, alii plebeio adſcribebantur. Ordo Senatorius omni tempore praecipuus fuit, ad quem nemo, niſi Patricius eſſet, admittebatur, deinde vero etiam ex equeſtri atque plebeio ordine prognati, ad illum ea lege adſpirare poterant, ut a Cenſore e plebeiis electi, ingenui eſſent. Ordo equeſtris Senatorio ordini dignitate proximus fuit, tum plebeii, teſte LIVIO, VALERIO MAXIMO, atque MARTIALE *f*) ſequebantur. Senatores ex equeſtri potiſſimum ordine electi fuerunt, quorum liberi equites nati manebant, donec ipſi in Senatum legerentur. *Caius Gracchus*, *Tiberii Gracchi* frater, nec multo poſt *Livius Druſus*, Tribunus plebis, anno ante Chriſtum natum circiter 121. ordinem equeſtrem cum Senatorio coniungere decreverunt; & ut tanto maior eſſet illa dignitas, qua quis ſimul in Senatu ſententiam ferre poſſet, primum lege, deinde plebiſcito ſtatutum ſanciverunt. Iisdem equitibus, utut a Cenſoribus in Senatum haud lecti eſſent, nihilo tamen minus, quod Magiſtratus honore fruebantur, Senatui intereſſe, & ſuffragia ferre licebat, ipſisque Senatoribus hi, tanquam dignitate maiores, praeferebantur. Tradunt quoque, *M. Livium* promulgaſſe legem, ne Iudicia ſoli Senatorum ordini tantummodo competerent, ſed ut aequa lance, inter utrumque ordinem dividerentur: quae nimirum lex diu ſancta & incorrupta viguit

f) LIVIUS Lib. XXV. Cap. 36. VALER. MAX. Lib. III. Cap. 7. MARTIALIS Lib. VIII. Epigr. XV.

guit g). Imperatorum tempore soli equites Romani diversis provinciis, tanquam Praesides, praefecti erant; Cappadocia enim, Aegyptus h), aliaeque plures provinciae ab equitibus Romanis regebantur, quas inter Aegyptus hoc iure praecipuo gaudebat, ut nemo Ordinis Senatorii, sed sola equestri dignitate pollens, Praesidis nomine ad illam accederet. Horum Praesidum decreta tanta autoritate a Divo AUGUSTO munita fuerunt, ut aeque valerent, ac si Romae a Magistratu, Regibus, Consulibus, ac Praetoribus lata fuissent; cumque Imperatores ius populo dicerent, constitutum fuit, ut Equites in cognoscendis causis, Senatoribus consilio adessent, eorumque arbitrio iura litibus finiendis applicarentur, ex quibus omnibus summam dignitatem ordinis equestris apud Romanos, simul & honorem *Antonio* MUSÆ habitum, aestimare licet. Uti vero singula dignitatum genera, nimis largiter & indistincte effusa, vilescunt, sic idem quoque fatum Romanis Equitibus contigit. CAIUS enim CALIGULA non solum numerum Equitum nimium constituit i), verum quoque GALBA libertum suum, *Icelum* k), atque VITELLIUS *Asiaticum*, libertum suum, equestri dignitate, ac iure aureum gestandi annulum, donavit; unde PLINIUS l. c. in haec verba exclamat: *Ita separatur ordo ab ingenuis, i. e. a Senatu & populo Romano; communicatus est cum servitiis. Sensim constitutum, ut quicunque libertus annulo donaretur, abiecto veteri nomine, equestre nomen assumeret.* Tandem haec dignitas adeo eviluit, ut temporibus SEPTIMII SEVERI l) militibus gregariis au-

g) *Alexander ab* ALEXANDRO Genial. dier. cum notis *Tiraquelli* Lib. II. Cap. 29.

h) *Corn.* TACITUS Lib. XII. & VII. SUETONIUS in Vespasiano.

i) *Plinius* Lib. XXXIII. Cap. 2. Sect. 8.

k) TACITUS in Histor. Lib. I. & II. & SUETONIUS in Galba & Vitellio.

l) HERODIANUS Lib. III. & de Heliogabalo Lib. V.

reos annulos geſtare liceret, & HELIOGABALUS tam Senatui, quam equeſtri ordini homines e ſcena praefecit.

§. III.

Licet medicae artis periti, tam inter Romanos, quam alios populos, ſequenti tempore variis dignitatibus & honoribus mactati fuerint, quibus quodammodo ſupra dignitatem equeſtrem eminuere; ſiquidem penes Romanos, Senatorum, Praefectorum urbium aeque ac provinciarum, Proconſulum & Quaeſtorum munere ſaepius fungebantur; adeo tamen multa de his eruditi *m*) iamiam memoriae prodiderunt, ut ſingula hoc loco enarrare velle, prolixi operis inſtitutum foret, meo muneri longe adverſum, quod, de Medicis equeſtri dignitate ornatis, in me ſuſcepi.

§. IV.

Anteaquam vero de Medicis, equeſtri dignitate apud Chriſtianos ornatis, differamus, de *Equitibus*, eorumque inſignibus nonnulla praemittenda erunt. Equites vel nativitatis origine, vel principis mandato deſignati, intelliguntur. *Equites nati*, tenore legum antiquiorum Germanorum verae ac genuinae nobilitatis originem tueri debent, ita, ut a paterno, aeque ac materno ſtipite, quatuor generationes nobiles allegare queant *n*), ſi Equitis titulo inſigniri velint. Reliqua pars Equitum,

m) Vid. *Henr.* LAMPE, Diſſ. cit. p. 97. usque p. 130. *Dan.* VINCK, *Amoenitates philologico-medicae.* Trai. ad Rhen. 1730. 8vo per totum fere librum. C. WOLLII, Diſſ. hiſtorico-critica *de Honoribus Medicorum apud Veteres.* Lipſ. 1732. *Io. Iac.* BAIERI, Oratio *de Honorificis Medicorum appellationibus*, quae tertia eſt in Faſciculo Orat. varii argumenti. Norimb. 1727. 4to. *Io.* BEVEROVICII *Encomium Medicinae.* Roterod. 1644. 8vo.

n) Vid. SCHWEDERI *Introductio in Ius Publicum.* Stuttgard. 1711. p. 318.

tum, vel *torquatorum*, vel *auratorum*, vel *cruciferorum* nomine venit, qui quippe poſteriores plerumque *religioſi* dicuntur. *Equites torquati*, equitibus ſecularibus annumerantur, externo quodam dignitatis ſigno, vel catena conſpicui, ad exemplum Equitum aurei Velleris, Ordinis del'Annunciada, Ordinis Elephantini, aliorumque. *Aurati equites* ad claſſem equitum ſecularium aeque referuntur; hi actu ſolenni, & occaſione naſcente ſingulari, ictibus quibusdam enſe datis, ad iſtam dignitatem evehuntur, Ordinisque ſui ſigno nullo gaudent. Temporibus antiquis, ſolis Equitibus aureis calcaribus uti, armaque ſua auro induere licebat. Inde nominis, quod ſortiti ſunt, ratio petenda; nec minus illa, cur non pauci Scriptorum germanicorum, Equites auratos, *calcarium aureorum equites* appellitent, quod nimirum in actu ſolenni, dum ictus enſe acciperent, ſimul aureis calcaribus induebantur. Alio quoque tempore nobiles perſonae ab equitibus armis & equeſtri dignitate ornabantur, ut tanto maiori cum honore bello, pugnis, & ludis equeſtribus intereſſe poſſent. Iſtius generis equites ab aliis equitibus, praedicto more deſignati, *milites*, ut quidam putant, non equites dicebantur; ſed largius de his infra commemorabimus. Idem nomen & illis equitibus tribui ſolet, qui pontificalibus ſive epiſcopalibus inſignibus, exemplo militum Sti Petri, nitent. *Equites cruciferi*, ſeu *religioſi*, a cruce, quam gerunt, nomen acceperunt, originemque ſuam praecipue ſanctis expeditionibus cruciatis, ſeu itineribus in Terram ſanctam, debent. Nonnulli initia horum Ordinum latius extendunt, eademque a temporibus Magni Imperatoris CONSTANTINI repetunt. Erant olim ordines iſti, fraternae ſocietatis vinculo, genere quodam Ordinis eccleſiaſtici inclyti, ad tuendam religionem chriſtianam, & promovenda virtutum chriſtianarum ſtudia ſanciti. Diverſis quoque Ordinibus antiquioribus cura aegrotorum, praecipui officii loco, demandata fuit, ad exemplum inſtituti Ordinis

nis Iohannitici o), cuius equites eam ob caufam & *Hofpitales* dicuntur, itemque Equitum Ordinis Teutonici Hofpitalium, Sanctae Mariae Hierofolymitanae cognomine infignitorum. Eiusdem generis fuit olim Ordo Sti Lazari, & Ordo ille a Sto Cofmo & Damiano, Protectoribus artis medicae atque chirurgicae, ita dictus. Immo & noftro adhucdum aevo, curam aegrotorum praecipuum officium Ordinis Sti Spiritus in Saxia effe conftat, cuius Ordinis fedes Romae, opimis reditibus dotata, viget. Sequenti aevo, eodemque recentiori, diverfi Ordines figno crucis infigniti, a magnis Principibus inftituti fuerunt, in quos vel perfonae illuftres, amicorum nomine adoptabantur, vel aulae bellique miniftri, tanquam praemio virtutis ac fidei praeftitae, in fignum regii favoris huic ordini adfcribebantur, vel quoque alii, tanquam fignis ac praerogativis, refpectu ceterorum fuae conditionis, ad excitanda nova merita, fimili mactabantur honore.

§. V.

Cum *Ordo Sti Iohannis Hofpitaliorum in Hierufalem*, nunc communiter *Equitum Melitenfium* dictus, procul dubio e numero antiquiffimorum Ordinum eorumque maxime fit, qui prae ceteris fulgent, merito quoque primò loco mentionem illius facere convenit. Tenore Statutorum Ordinis, five Fraternitatis, tria Fratrum genera huius Ordinis dantur. Diftinguuntur in *Equites*, *Presbyteros* feu *Capellanos*, & *Servientes*, prouti Scriptores, qui hiftoriam huius Ordinis tradiderunt, infra adducendi, prolixius indicabunt. Ex Ordine Medicorum *Michael* SAVONAROLA p) Equitibus huius Ordinis honorifice adfcriptus, eius-

o) Vid. VERTOT, *Hiftoire des Chevaliers Hofpitaliers de St. Jean de Jerufalem. Tom. I. p. 15. 16.*

p) Vid. Hiftoria almi Ferrariae Gymnafii a *Ferrante* edita, Tom. II, p. 17. BAYLE Dictionnaire, fub voc. *Savonarola.*

eiusdemque ſigno, ob generis ſui nobilitatem & merita, ornatus fuit, Principum Eſtenſium Archiater, in Academiis, Patavina & Ferrarienſi, Profeſſoris munere functus. Monendum duxi, Equites ex Hiſpanica & Italica natione non adeo difficilem habere aditum, quam ex Germanica natione. Nam e Statutis Ordinis equeſtris Sti Iohannis patet, quod Italicae & Hispanicae nationis Equitibus, quatuor generationes nobiles a latere paterno, totidemque a materno, ſuffecerint, quibus digni cenſebantur, ut ad equeſtrem dignitatem adſpirare poſſent. Natio Germanica e contrario, ſe ipſam onere iſto gravavit, vel potius legem ſibi impoſuit, ut generationes XVI. eidem probandae eſſent, priusquam aliquis pari potiatur honore. Multos quidem Ordinis S. Iohannis Melitenſis Equites, ex Medicorum celebrium familiis adducere poſſem, ut *Florium* ROVERELLAM, celeberrimi Medici, *Laurentii Roverellae*, Pontificis Maximi Nicolai V. Archiatri, & intimi cubicularii, fratrem; nec minus *Antonium* TEBALDUM, Equitem eiusdem Ordinis, Archiatri Pontificis Calixti III. *Simonis Tebaldi*, nepotem, duosque alios equites Hieroſolymitanos, pronepotes celeberrimi Medici, Ambroſii Cavenaghii, Protophyſici & Decurionis Mediolanenſis, & plures alios. Quia vero non ipſi Medici fuerunt, eos praetermitto, licet ob generis nobilitatem Medicorum Ordini aliqualem ſplendorem addant.

Presbyteri ſeu *Capellani* Ordinis, equitum more, crucem gerunt, neque dubito, *Petrum* ARLENSEM *de Scudalupis*, medice doctum, horum equitum numero accenſendum eſſe. Eſt mihi illius imago aeri affabre inciſa, quam Thomas de Leu excudit. In eadem imagine, cruce Ordinis Melitenſis ornatus apparet. Ex inſcriptione vero imaginis, praeter nomen ante allatum, & litteras M. B. O. nil plane de Ordine ac *Petri Arlenſis* dignitate conſtat: Nulla in Biographis eruditorum de vita eius mentio facta; & quamvis rara illa libri, quem ſcripſit de Sympathia ſeptem metallorum, & ſelectiorum lapidum ad planetas,

netas, ſolaque genuina editio opera filii ſui, Mantuae Carpetanorum in fol. prodierit, fruſtraneo tamen labore, in Nic. Antonii Bibliotheca Hiſpana illum quaeſivi. In rubro antedicti ſui operis, *Petrus* ARLENSIS, Presbyteri Hieroſolymitani nomine effertur *q*), qui titulus illam dignitatem concernit, qua tunc temporis enituit; ad ſacrum vero Ordinem paulo tardius illum acceſſiſſe, ex eo coniicitur, quod antea in matrimonio vixit. Cum officium equitum e primo huius Ordinis inſtituto, aegrotorum ſcilicet in hoſpitiis ſuſcipiendorum curam concernens, Medicorum muneri haud adverſetur, cuius officii mentio §. III. facta eſt, mirum aliquem habere minime poteſt, cur Medicis, huius Ordinis Fratrum Servientium numero adſcriptis, indultum fuerit, crucem, more reliquorum ita dictorum Fratrum Servientium, geſtare. Crux iſta, ſi BONANNO fides habenda eſt, formam ſolitam crucis Melitenſis prae ſe fert, aureae nimirum, coloreque albo intermixtae ac interlitae; aſt apicibus binis ſuperioribus ſeu potius integra parte ſuperiore ſignum omnino caret, ita ut utrumque modo latus, una cum parte inferiore perfectum, ſex apicibus finiatur. BONANNUS quidem *r*) deſcriptionem crucis Fratrum Servientium ſupra adductam dedit; verum illam cum cruce Donatorum confundit. In Statutis Ordinis, quorum copiam nobis VERTOT *Tom. IV.* fecit, crucis huius truncatae non niſi reſpectu Donatorum mentio facta eſt, ipſe cum OSTERHAUSIO l. cit. teſtatur, crucem linteam, minoris nimirum formae quam Equitum, Fratrum Servientium palliis infixam fuiſſe; cui aſſerto praedictus OSTERHAUSEN addit, quod Fratres Servientes aurea cruce non fulgeant. Presbyteri, ſeu Capellani, & Fratres Servientes, teſte VERTOT *Tom. IV.* in Statutis probare debent, ſe e legitimo ac honeſto

q) Vid. MORHOFII Polyhiſtor, Tom. I. Lib. I. Cap. XI. §. II.

r) Vid. BONANNI Deſignatio Ord. Equeſtr. Eccleſiaſticorum & Secularium. n. 61.

honesto matrimonio natos esse, parentesque habuisse non opifices, nec vilioris opificii munere unquam functos. Fratres vero Servientes ipsi, a suspicione cuiuscunque facti levioris ac ignominiosi, liberi esse debent. Neque dubitandum, quin huius generis Medicorum, cruce, tanquam signo Ordinis notatorum, magnus numerus adduci queat, cum Ordo ipse post adeo longum temporis intervallum, iamiam floruit, ac omni tempore tribus Medicis *s*) cura Hospitalis vel Nosocomii, Italis Infirmeria, Ordinis demandata fuit. Alius vero e Medicis, integrae navium turmae, quando triremes, mare petentes, solvebant, iungebatur *t*); quippe quae consuetudo hodierno quoque tempore viget. In Statutis Ordinis vero sancitum legitur, ut officia Ordinis semper Fratribus Ordini adscriptis conferenda sint.

§. VI.

Equites Sti Sepulchri Hierosolymitani aeque ac *Equites Ord. Sti Iohannis* antiquissimis Ordinum institutis accensentur, qui, cum numerus eorum crevisset, etiam in Italiam transiere, sede Perusiae electa. Postea vero maximam partem a Pontifice Innocentio VIII. Ordini Sti Iohannis MCCCCLXXXIV. admixti fuere. Duodecim vero annis elapsis Alexander VI. *tt*) Magisterium Ordinis sibi vindicavit, & Guardiano sive Patrum Superiori, Ordinis Franciscani, seu Fratrum minorum strictioris observantiae, quibus custodia Sti Sepulchri demandata est, tanquam summi Pontificis Vicario ad Sti Sepulchri monumentum,

s) C. *von Osterhausen* Statuta & Ritus Equit. Ord. St. Ioh. in Hierusalem. Francof. 1644. p. 26. & 78.

t) *von* OSTERHAUSEN Tit. XII. de Officiis Fratrum, & VERTOT l. c. Tom. IV. dans les Statuts. p. 172.

tt) SPENERI Opus heraldicum Tom. I. p. 334.

tum, poteſtatem ac libertatem dedit, nonnullos peregrinantium, pietate, religione ac meritis conſpicuos, in Ordinem iſtum adoptandi, Equitumque dignitate inveſtiendi. Huius generis Equites, finitis ſingulis diverſorum ſolennium ambagibus, quas *Franciſcus* MENENIUS *u*) prolixe refert, poſtremo loco aurea catena donantur, cum appenſa cruce, in collo eorum ſuſpenſa. Crux iſta rubri coloris eſt, cuius quatuor anguli aliam minoris formae crucem rubram continent, quae ſingulae cruces, quinque vulnerum Chriſti in memoriam proditae, eiusdem indolis ſunt ac patibulatae, Germanis *Krücken-Creutz* dictae. Equites hoc ſigno conſpicui, matrimonii vinculo ſe alligare poſſunt, & una cum reliquis votis conſuetis, coniugalis caſtitatis fidem promittunt. Illorum in numero fuit inclytus ille *Iohannes Weslingius* ſeu VESLINGIUS, Mindeno-Weſtphalus *x*). Hic, poſtquam diu Palaeſtinam ac Terram Aegyptiacam inhabitaſſet, munere deinceps Profeſſoris in Academia Patavina functus fuit. *Bernhardus van den* BROECK *y*), Medicus Batavus, praxi ſua, quam Enckhuſiae mutuavit, admodum celebris, pro more tunc temporis ſolito nomen ſuum mutans, ac PALUDANUS dictus, poſtquam lata in Europae, Aſiae ac Africae Terris, itinerum ſpatia emenſus eſſet, ſacri Sepulchri Ordinem equeſtrem nactus fuit. Recentiori adhuc aevo, Ruſſiae Imperatoris Noſocomio campeſtri, quondam Medicus praefectus,

u) Vid. *Deliciae equeſtrium ſ. militarium Ordinum, & eorundem Origines, Statuta, Symbola, & inſignia, iconibus additis genuinis.* Colon. Agrippinae 1613. p. 39. ſeqq. In fine huius libri tabulas adiecit, quibus Philippus II. Rex Hiſpaniae in Summum Ordinis Magiſtrum, eiusque ſucceſſores ab equitibus Hieroſolymitanis, praeſertim Belgis ibidem nominatis, anno 1558. in Eccleſia Hochſtratana, ditionis Brabantiae, ſunt electi.

x) IMPERIALIS *Muſeum hiſt.* Lib. I. p. 208.

y) IOECHERI *Lexicon erudit. univ.* ſub nomine *Paludanus.*

ctus, D. *Michael* SCHENDO *van der* BECK z), origine Macedo, equeſtri hoc ordine inſignitus innotuit.

§. VII.

Ad Equitum Sti Sepulchri Hieroſolymitani fere normam, *Equites Stae Catharinae in monte Sinai a*) creari ſolent, in quo eiusdem Virginis corpus ſervatur, ideo reliquis e Terra ſancta ortis Equitibus illos adiungere placet. Hic Ordo anno 1063. a Perſonis nobilibus, in cuſtodiam ſepulchri Sanctae Catharinae inſtitutus fuit, & ſanctis eo tendentibus viatoribus in tutelam dabatur, ut ſimul hoſpitii iure fruerentur. Inſuper & equites voto coniugalis caſtitatis ſeſe obſtringunt. Numerus eorum quondam valde magnus fuit; Magiſtrum Ordinis ſui ipſi elegerunt; multas praefecturas terrasque poſſederunt. Equites in amictu albo, mediam rubei coloris rotam, gladio transfixo, inſignium loco, in ſiniſtro pectoris latere gerunt. Ex quo vero tempore, una cum iactura Palaeſtinae & Graeciae, bonis quoque ſuis hic Ordo orbatus fuit, nunquam iſte ad ſtatum priſtinum redire, neque ad electionem ſupremi ſui Ordinis Magiſtri adſpirare potuit. Hinc accidit, ut Abbates inter Monachos S. Baſilii, quibus cuſtodia corporis ſanctae Virginis demandata eſt, quorumque ad legis normam Ordo praedictus inſtitutus fuit, indulgentibus Pontificibus, iure uſi ſint, viatores quosdam religioſos in equites Ordinis de Sepulchro S. Catharinae creandi. De hoc genere equitum procul dubio celebris ille *Leonhardus*

z) Vid. Perilluſtr. BÜCHNERI *Hiſtoria Academ. Nat. Curioſor.* p. 497. ubi rubrae Hieroſolymitanae Crucis Eques audit, quod genus Equitum ad ſacri Sepulchri Ordinem equeſtrem unice referendum puto. Vid. BONANNI *Deſignatio Ordin. equeſtr. tam eccleſiaſt. quam ſecular.* n. 105. vel Edit. germ. p. 115.

a) *Franc.* MENENII Deliciae equeſtr. ſ. milit. Ord. iam cit. pag. 49. BONANNI l. c. n. XXI.

THURNEISSER *zum Thurn* fuit, inter Archiatros Electoris Brandenburgici *Iohannis Georgii*, primo & praecipuo loco nominandus, qui in orbe erudito, Scriptis ſuis, &, quod aiunt, artis alchymiſticae ſcientia valde inclaruit. Autores quidem biographici *b*) nullam dignitatis ſuae equeſtris mentionem faciunt; poſſideo tamen, una cum aliis ipſius iconibus, imaginem ligno expreſſam, cui verba inſcripta: *Effigies genuina Nobiliſſimi, Clariſſimi & Excellentiſſimi Viri, Domini Leonhardi Thurnheuſeri, Equitis de monte Sinai, Philoſophi celeberrimi*, leguntur. Ima in parte imaginis, *Iacobus Colerus*. iun. Berol. March. Med. Stud. poſt illius mortem, ordine prolixo, verſus in eius laudem conceptos addidit. Ceterum evictae veritatis aſſertum eſt, quod Imperator *Rudolphus* II. Thurneiſerum, qui patrui ſui, Archiducis *Ferdinandi*, gratiam iam antea meruerat, multumque penes illum valuerat, nobilitatis inſignibus donaverit *c*): pari modo certo quoque conſtat, de itineribus diverſis in longum latumque ab eodem ſuſceptis, praecipue de illis, quae anno 1560. in Scotiam & in Inſulas Arcadicas, anno 1561. in Hiſpaniam & Luſitaniam, porro in regiones Barbarorum, Aethiopiam, Terram Aegyptiacam, Arabiam, Syriam, Palaeſtinam, Candiam, Graeciam, Hungariam, & anno 1568. in Bohemiam ſuſceperit; unde in Germaniam 1571. redux, ut ante narratum, Electori Brandenburgico officia ſua locavit *d*). His ubi in itineribus conſtitutus fuit, & praecipue cum in Palaeſtina moraretur, dubio prorſus vacat, eum Ordinem equeſtrem neglexiſſe, quem, quo tanto maiori autoritate conſpicuus eſſet, ſuisque promiſſis alchymiſticis tanto graviorem fidem adderet, ſibi procul dubio conciliare ſtuduit.

§. VIII.

b) e. g. KESTNERUS in Lex. Biogr. Med. IOECHERI Lexicon erud. univ. MANGETI Bibliotheca Script. medic.

c) M. DIETERICI *Berliniſche Kloſter- und Schul-Hiſtorie* p. 133.

d) Acta Med. Berol. Dec. II. Vol. I. in Praef. & IOECHER in Lib. cit.

§. VIII.

Ordo Equitum Crucis cum Stella rubra, quem nonnulli institutum *Helenae*, matris Imperatoris *Constantini Magni* esse ducunt, sine dubio eiusdem originis, cum Ordinibus S. Iohannis, Teutonico, Templariorum, singulisque iis Ordinibus censetur, quorum mentio §. III. facta, & de quibus dictum fuit, quod tam armis, quam curae aegrotorum in Palaestina vacaverint. Hi pari modo, ac ceterorum ordinum Equites, crescentibus Turcarum viribus, in Europa fixam sibi sedem pararunt. E vetustissimis rerum monumentis constat, hunc Ordinem Bohemiae primum innotuisse, in cuius regni pago quodam, *Pontizke* dicto, villam rusticam acquisivit, & Xenodochium pauperum cum Nosocomio, in favorem hominum decrepitae aetatis & infirmae valetudinis, instituit, cui deinceps plura huius generis instituta, anno 1238. a Pontifice Gregorio IX. & anno 1251. ab Innocentio IV. confirmata, accesserunt, quo facto vitam quoque militarem penitus deseruere, & praecepta Divi Augustini secuti, ad huius instituti normam, vitae suae rationem composuere, & amictum nigrum, instar Ministrorum ecclesiae, elegere. Antiquioribus temporibus, Equitum in pectore sinistro sola Crux rubra Melitensis cernebatur; sed Magister Ordinis, *Albertus de Sterneberg*, fratribus Stellam rubram sexangularem e suis insignibus gentilitiis addidit, ut illam rubra sub Cruce gestarent. Idem institutum a Pontifice Innocentio IV. in Bulla confirmatoria deinceps robur suum nactum fuit; unde quoque ratio petenda est, cur *Equites Crucigeri cum Stella rubra*, dicti fuerint. Magister Ordinis Superior, s. Generalis, Pragae in templo & Xenodochio Sti Spiritus residet, cui Imperator LEOPOLDUS anno 1697. locum inter Antistites sacrorum Ordinum provincialium ecclesiasticos, seu Praelatos Bohemiae, assignavit. Fratres huius Ordinis, per Bohemiam, Silesiam, Moraviam, Poloniam, & Lithuaniam, sedes sibi paravere latissi-

mas *e*). Magiſter Ordinis Wratislaviae, titulo Magiſtri Supremi ac Viſitatoris Generalis per Sileſiam atque Poloniam gaudet, & Magiſtrum Generalem Ordinis proxime ſequitur, reſidetque in pio inſtituto Ducali Sti Matthiae Wratislaviae, cuius nimirum Xenodochii ſacri Antiſtes Infulatus audit. Ipſum vero inſtitutum viduae Ducis *Henrici Pii*, *Annae*, originem ſuam debet, quae opimis reditibus idem dotavit; parochialis eidem adhaeret aedes, cum ſplendida bibliotheca.

Cur adeo prolixam huius Ordinis deſcriptionem praemittere in animum induxerim, cauſa fuit nonnullorum error, qui Equites huius Ordinis cum Ordine Sti Conſtantini, vel Melitenſi, vel Equitum Ordinis Teutonici confundunt. Praecipuam vero huic commentationi anſam praebuit Doctor *Ioh.* SCHEFFLERUS. Iſte fuit Imperatoris Ferdinandi III. ac Ducis Olsna-Würtebergenſis Archiater, qui, poſtmodum religionis Romano-Catholicae dogmata profeſſus, Ordinis Teutonici Eques fuiſſe fertur, uti e Tomo V. Theatri mundi apparet *f*). Hoc aſſertum faciliorem fidem invenire potuiſſet, ſi tempore inſtituti Ordinis Teutonici vixiſſet, quo forte non tam documentorum probandae nobilitatis, quam veri officii, & adimplendi muneris equeſtris ratio habebatur, cuius Ordinis Teutonici vota praeſtanda curam aegrotorum praecipue reſpiciebant, ad quam gerendam iuſtis SCHEFFLERUS requiſitis haud fuit deſtitutus. Verum tamen celebrem Ludolfiani Operis continuati Autorem non latere debebat, quod SCHEFFLERUS, ex lege Statutorum, dignis ad adipiſcendum Ordinem Teutonicum meritis caruerit. Licet autem SCHEFFLERUS in Biographis medicis non reperiatur, dum multa Scripta myſtica, & ad Theologiam polemicam ſpe-

e) GRYPHIUS *im kurtzen Entwurff der geiſtl. und weltl. Ritter-Orden*, in Praefat. Edit. de ann. 1709. BÜSCHINGS *Erdbeſchreibung, in dem Capitel von Bœhmen und Schleſien*.

f) Vid. *Ioh.* LUDOLFS *Schaubühne der Welt*, V. Th. p. 365.

ſpectantia, tecto ſub nomine edidit, Opera vero medica plane nulla ab eodem elaborata in lucem prodiere; de eo tamen certior factus ſum g), quod poſt mutatam religionem ſuam, in praedictum coenobium S. Matthiae, Wratislavienſe, ſeſe receperit, Ordini Crucigerorum cum Stella rubra nomen dederit, & ſacris ſacerdotalibus initiatus fuerit, quo facto, Epiſcopalis Conſiliarii munere indutus, anno 1677. diem obiit ſupremum.

§. IX.

Inſigne documentum pietatis & amoris erga proximum, & quodammodo ad ſera usque tempora ſervati inſtituti laude digniſſimi, exhibet *Ordo Sti Spiritus in Saxia*, Romae vigens, de quo paulo prolixiorem dicendi campum ingrediemur. Hic fere unicus ille Ordo habetur, qui ſecundum primas inſtituti regulas, hodierno adhuc tempore celebratur. Nam, uti ex ante dictis patet, cura aegrotorum, omni tempore, praecipuis Ordinum equeſtrium antiquiſſimorum officiis annumerabatur, eorumque ad exemplum Ordo Sti Spiritus in Saxia anno 1204. à Pontifice Innocentio III. Romae ſancitus fuit, ab initio & origine non adeo late patens. Prope templum Stae Mariae Xenodochium pauperum Romae ſitum erat, ab *Ibna*, Rege Saxonum plagae orientalis, in uſum viatorum religioſorum ſuae gentis, una cum templo aedificatum, unde ea urbis pars, quam Saxones incolebant, *Saxia*, & ipſum templum, nomen *Stae Mariae in Saxia* ſeu *Saſſia* ſortitum fuit. Ad alendos vero pauperes huius Xenodochii, e bonis ſuis cameralibus, Rex certos quosdam reditus annuos, a ſucceſſoribus ſuis aliisque multis piis legatis adauctos, deſtinaverat. Cum tempore Pontificis ante

g) Arnolds *Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie* P. III. p. 93. Lucae *Schleſiſche Chronik* p. 447. Scultetus de Hymnop. Sileſ. pag. 8. Wetzels *geiſtl. Lieder-Dichter*, & *Unſchuldige Nachrichten*, 1713. p. 858. *und* 1727.

ante dicti, Guido, Wilhelmi Comitis vel Dynastae Montispessulani filius, Ordinem Hospitalem, sub Sti Spiritus nomine, ad normam Ordinum in Terra sancta contractorum vel fundatorum, una cum aedificiis curae aegrotorum inservientibus, in Montispessulana civitate instituerat; Papa Guidonem, confirmato iam instituto, una cum sex Hospitalibus Romam evocabat, tradebatque illi spartam Praesidis in Xenodochio Stae Mariae, postea Sti Spiritus nomine insignito; hodie vero Archinosocomium vel Archihospitale Sti Spiritus dicitur. Integram eandemque absolutissimam huius Ordinis historiam cum Helyotus *b*) nobis tradiderit, Lectorem ad eundem remitto. De hospitali aedificio ipso, quod a Pontifice Sixto IV. illo cum splendore adornatum est, quo tempore praesente adhuc fulget, quaedam praemittere placet. Inter res alias memoratu dignas, latum vastumque triclinium hae aedes continent, cuius spatium Lectorum numerus millenarius explere potest. Alio quodam in loco spatioso, ducenta strata posita sunt, singula aestivo tempore occupata. Sacerdotes & personae nobiles conclavia separata inhabitant, quorum in unoquoque quatuor lecti positi reperiuntur, cibumque e vasis argenteis capiunt. Adhuc unum in hoc aedificio atrium transversim situm, occurrit, vulneratorum receptaculum. Insunt illi quoque camerae peculiares, quibus includuntur mente capti, morbo contagioso afflicti, numerusque morbis laborantium fere continuo millenarius est, quos hoc Xenodochium fovet. In certo quodam domicilio posticae partis Xenodochii, quadraginta nutrices habitant, ad servandos infantes expositos, lacteque nutriendos, ibidem receptae, quoniam haec infantum proiectitiorum cura praecipuum, pro averruncandis infanticidiis, Fratrum Ordinis munus habetur; infantes vero expositi, machinis singu-

b) Helyot *Geschichte der geistl. und weltl. Ritter-Orden* Tom. II. p. 235. seqq. & p. 256.

ſingulari arte effictis immiſſi, in Xenodochium utplurimum nocturno tempore, velut torquendo, trahuntur. Praeterea in ipſa civitate, & adiacentibus pagis, bis mille adhuc numerantur nutrices, quarum curae ac nutricio parvuli committuntur. Adhuc alius aedibus ineſt locus, quingentorum puerorum turba ſcatens; pueri iſti trimuli vel quadrimuli illuc deferuntur, manentque ibidem, donec in certo quodam opificii genere, vel alia quacunque arte eruditi, ad illum ſtatum pervenerunt, ut manuum ſuarum opera ſe ipſi alere poſſint. Sunt & alio in loco puellae quingentae, quae ibidem educantur, donec illam attigerunt aetatem, ut nubere valeant; nubentes, vel vitam religioſam eligentes, e Xenodochio quinquaginta thaleros Romanos, ſive, ut KEYSSLERO placet *i*), centum (*Scudi*) pro dote accipiunt. Cum plurimi Pontificum, inter quos Innocentii III. & Sixti IV. mentio iam facta, praecipue quoque Eugenius IV. Leo X. Paulus III. Pius IV. Pius V. & fere ſinguli papali dignitate florentes illorum ſucceſſores, merita ſibi vendicant, quod Xenodochium hoc, piis fundationibus & legatis iam antea ornatiſſimum, ſplendidis ex parte aedificiis, fontibus, picturis, eiusque generis variis ornamentis, donaverint; partim quoque pinguibus reditibus iſtud ditaverint: adeo mira res non eſt, cur annui huius pii Corporis reditus Summam 100000. thalerorum Romanorum, quos *Scudi* vocant, longe ſuperent. Naſcuntur illi reditus e fructibus nonnullorum principatuum, urbium, vicorum atque pagorum Xenodochio ſubiectorum, ut & ex trapeza ſive argentaria, quam aedes iſtae continent. Immo copioſiores adhuc futuri eſſent illi reditus, niſi aliqua eorum pars in aliorum Xenodochiorum utilitatem converteretur. Palatium Commendatoris, Praeceptoris ſub nomine vulgo noti, mira venuſtate nitet. Huic vaſtae aedes adiacent, quas Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopolarum numerus centenarius, una cum

i) *Neueſte Reiſen* Tom. II. p. 31

cum miniſtrorum Xenodochii numero haud exiguo, inhabitat, praeter multos alios medicae arti & chirurgiae addictos, qui illuc quotidie confluunt, quo ſeſe in Medicina, Chirurgia & Pharmacia fructuoſius exercere valeant. Ut vero iuvenes, qui in doctrina medica, & reliquis huius doctrinae partibus ſeſe exercere ſtudent, tanto magis in ſingulis proficiant, ipſaque cura aegrotorum, a peritiſſimis inter Medicos geratur, ordo Inſtituti iubet, ut quatuor doctiſſimorum Medicorum, adhibitis binis Chirurgis, multa experientia edoctis, ſeligantur. Siquidem illo in caſu, quo munera Medicorum vel Chirurgorum Hoſpitali addictorum vacant, publicum examen inſtituitur, ad quod unusquisque e Medicis ac Chirurgis, tale munus ambiens, admittitur, praecipuumque tunc temporis Antiſtitis Commendatoris officium eſt, id agere, ut doctiſſimo, & in examine praeſtantiori, haec ſparta demandetur. Cum egregio huic inſtituto nulla adhuc Bibliotheca eſſet, celebris Archiater & Cubicularius intimus Pontificis, *Io. Maria* LANCISIUS, Medicinae practicae Profeſſor primarius in Archilyceo Romano, anno 1676. & nonnullis hunc ſequentibus annis, munere Medici aſſiſtentis hoc in Xenodochio functus, integram ſuam ſplendidam Bibliothecam, dum adhuc in vivis eſſet, una cum ſingulis Codicibus MSCtis, omnique inſtrumentorum anatomicorum, chirurgicorum, phyſicorum & mathematicorum apparatu, huic Corpori legavit, ſolennique Oratione, praeſentibus multis Purpuratis & Sedis Romanae eccleſiae Proceribus, de *recta Medicorum Studiorum ratione inſtituenda*, d. 25. Aprilis 1714. recitata, eidem tradidit *k*). Secundo die feriarum Pentecoſtalium eiusdem anni, haec

k) Vid. la Bibliotheca Lanciſiana, overo diſtinto Ragguaglio della publica Libreria, eretta l'anno 1714. nel Sacro Pontificio Archioſpedale di S. Spirito di Roma, dall' Illuſtriſſ. e Reverendiſſ. Monſig. *Gio. Maria* LANCISI, Cameriere ſegreto, e Medico di N. Sig. Papa Clemente XI. deſcritto dall' Abate *Criſtoforo* CARSUGHI, Dot-

haec Bibliotheca, praesente Pontifice Clemente XI. viginti Purpuratis, magnoque Antistitum numero, maxima cum pompa aperta fuit. Primi anteibant Sacri Ordines; Equites, Conservatores, Principes sanctae sedis, & Patricii Romani Pontificem comitabantur, cui solenne est, hoc die cum magno comitatu Archinosocomium invisere. In ornamentum quoque huius Bibliothecae, LANCISIUS bina busta, ex candido marmore, Papae nimirum Innocentio XI. & Clementi XI. dicata, elaboranda, ac in vestibulo atrii collocanda curavit. Haec busta admodum altis nituntur fulcris marmoreis, quorum alterum herbeo colore, maculisque nigris sine ordine sparsis, (*Verde anticho*), alterum colore flavo stramineo (*Gallo anticho*) notatum, in memoriam muneris Archiatri & Cubicularii intimi, quo penes utrumque Pontificem LANCISIUS functus, gratiaeque, qua apud illos olim valuisset. Dono quoque dedit Statuam marmoream horologio imponendam, imaginem Fortitudinis sistentem. Addidit insuper quasdam reliquias Sancti Pantaleonis Medici, quem LANCISIUS, tanquam studiorum suorum Protectorem, singulari cultu prosequebatur, busto argenteo reconditas. Ad conservandam Bibliothecam & comparandos novos libros, LANCISIUS reditus, e centum locis Montium Camerae Apostolicae non vacabilium, pro fundo, post mortem eius prodeuntes, legavit, illo nimirum nomine ac titulo, quo ad LANCISIUM pertinebant, & in ipso instituto, ac Diplomate Pontificis, (*Breve* dicto) efferuntur. Praeterea, ante obitum suum, CXX. Scudi in honorarium Bibliothecarii, XXX. Scudi pro Custode, illius Adiutore, & decem pro quibusdam minutis expensis, per an-

Dottore di Teologia e d'ambe le Leggi, Bibliotecario della medesima. Con una Orazione recitata: de Recto usu bibliothecae, e coll' aggiunta d'alcune Poesie dello stesso autore fra gl' Arcadi, detto Egialo Pastore. Dedicato all' Emmo e Rmmo Sig. Card. Franc. Maria Casini. In Roma 1718. 4to.

ni tempus solvendis, assignavit. Adhuc LX. Scudi ad alimentum Bibliothecario aedium Sti Spiritus quotannis solvi iussit: quippe qui simul Canonici Sti Spiritus titulo gaudet. Ut ex hoc instituto maius commodum in doctrinam medicam redundaret, LANCISIUS sequenti tempore Academiam philosophico-medicam sancivit, quae in atrio Bibliothecae congregatur. Ne spatium in Xenodochio nimis contraheretur, Commendatoris munere tunc temporis in illo fulgens, *Georgius Spinola* Archiepiscopus Caesareanus, Referendarius utriusque signaturae Papalis, &c. quatuor conclavia, in superiore contignatione aedium Praeceptoris Nosocomii Sti Spiritus sita, a domicilio suo, pro atrio & vestibulo condendo, seiunxit. Cum vero deinceps praedictus Archiepiscopus, Nuncii nomine, Vindobonam mittebatur, successor eius in praefectura, *Sinibaldus Doria*, Archiepiscopus Patracensis, operi exstruendo colophonem addidit, Papa Clemens XI. qui ipse conficiendo & adornando atrio Bibliothecae, haud exiguos sumtus impendit, donoque dedit, hoc institutum non tantum peculiari Diplomate confirmavit, sed & omnibus ac singulis, qui illud institutum quocunque modo violaturi essent, vel minimam schedam, qualicunque sub obtentu, e Bibliotheca subducere auderent, excommunicationis maioris poenam minatus est, a qua nemo, nisi in ipso mortis articulo constitutus, a solo Pontifice Romano, tunc temporis existente, liberari potest. E biographia LANCISII patet *l*), quod verum a LANCISIO, alendae Bibliothecae & honorando Bibliothecario destinatum Legatum, in Summam 12000. Scudi excurrat, additurque aliud Legatum, nimirum 60000. Scudi, Archinosocomio in Saxia ab illo donatum, ad exstruendas aedes, in quibus virorum ac foeminarum decrepitae aetatis, numerus sexagenarius nutriendus esset. Quodsi

l) Vid. IOECHERI Lexicon erud. univers. *Lancisius*, & ibi citati Giornali litterati, & NICÉRON Memoires.

si mihi proposuissem, hac occasione de Medicis Bibliothecarum fundatoribus & amplificatoribus nonnulla subiicere, numerosa illorum copia adducenda foret; ubi vero iamiam in enarrando LANCISII instituto, aeque ac in describendo Ordine Sti Spiritus in Saxia, tanto prolixior fui, quanto magis hanc terrae partem earum rerum notitia fugit; insuper & ante adductus liber *Christophori* CARSUGHI raro occurrit, filum dissertationis huius argumenti abrumpam, ac ad Ordinis ipsius constitutiones, habitum, ac hodiernam conditionem revertar. Ordinis fratres omnes aequali amictu induti incedunt; in latere sinistro tam vestis atrae, quam pallii, crucem habent albam linteam, duodecim apicibus distinctam, similem isti, quae Patriarchalis vocatur. Secundum primum institutum Fratres Ordinis laici erant; quibus Clerici quidam seculares adiungebantur, tam ut egentibus, quam aegrotis sacra ministrarent. Nunc vero in numero Fratrum Ordinis Romae, solummodo Canonici regulares, Sacerdotes, & Laici inveniuntur, qui Praeceptori magno seu Commendatori subiecti sunt. Siquidem tempore praeterito Ordo ille, cum separatis praefecturis sive Commendis gauderet, pro vero Ordine equestri habebatur, licet Fratres Ordinis nunquam arma gessisse legamus; equites tamen olim & cruce & gladio ornatos fuisse, bonaque Ordinis administrasse, imo in Gallia equites quosdam huius Ordinis uxores duxisse, HELYOTIUS l. c. refert. Summe ibi mixtus ex equitibus, iustitiae, gratiae, obedientiae, ministrantibus; porro ex clericis regularibus, religiosis & laicis, Ordo constabat, semper in lite inter se versantibus, usque dum 1700. Rex Galliae sancivit, Ordinem mere religiosum & regularem esse & manere, nec equestris Ordinis in Gallia iura habere, cum iam antea 1689. & 1690. mandatis consilii Status, Magistro Ordinis la Coste, nec nomen magistri Ordinis supremi in Gallia, nec crucem, nec gladium gerere, una cum ita dictis equitibus, sed absque effectu, prohibitum erat. Religiosi Ordinis nunc vi-

tae monasticae nomen dant, & votum solenne nuncupant; laici vero solo voto castitatis, paupertatis, & obsequii, quin & officiorum aegrotis atque pauperibus praestandorum, adstringuntur. Multa in Italia, Germania & Polonia huius Ordinis monasteria & nosocomia, imo & monialibus referta claustra, reperiuntur. In Gallia, uti diximus, Ordo varia perpessus est fata, & plerumque Commendatori, in Saxia Romae residenti, subiectus fuit. Possidet adhuc nosocomia & monasteria, sub Sti Spiritus nomine clara. Nunc de dignitate Praeceptoris Sti Spiritus in Saxia, Romae degentis, commemorabo, quod hoc munus omni tempore Antistiti seu Praelato proprium fuerit, ob nativitatis originem illustri; quid quod & ipse Papa, virum meritis eximium, huic spartae nunquam non praeficere solet. Ex quo tempore Cardinalis, *Petrus Barbo*, ordini quidem Medicorum, ut aiunt *m*), non vero Canonicorum Sti Spiritus, adscriptus, postea Pontificis nomine clarus, Paulus II. dictus, a Papa Eugenio IV, cognato suo, Commendatoris seu Praeceptoris munus impetravit; raro aliquis ex ipso Ordine Sti Spiritus ad illam dignitatem pervenit. Praeceptor seu Commendatarius proprio nomine, Ordinis Magister generalis audit; dum in decretis apostolicis modo Commendator, modo Praeceptor, modo Magister generalis Ordinis Sti Spiritus appellatur. Prior Archinosocomii Romani, secundum in Ordine tenet locum, & Vicarius Ordinis generalis salutatur. A Comite Guidone, Montepessulano, ad praesens usque tempus aliquot ultra septuaginta Praeceptores seu Commendatores numerantur, quo in numero Pontificum unus, septem vel octo Cardinales, bini Archi-

m) Vid. Vinckii Amoenitates philol. medicae, pag. 422. Barbonem Medicum fuisse, quoque ex Tiraquello *de Nobilitate cap. 31.* in loco de summis Pontificibus Medicis, patet. Nam Paulus II. ut tradit Platina in Vita eius, aegrotantes curiales invisebat, adhibitisque etiam medicamentis curabat.

Archiepiscopi, & duodecim Episcopi reperiuntur. Ab anno 1515. amictus violaceus cum Mozetta & pallio, ad exemplum Antistitum seu Praelatorum, Praeceptori seu Commendatori a Pontifice indultus fuit. Commendator in clavi fissura tunicae crucem auream, albo colore encaustam, duodecim apicibus notatam, gerit. Post insignem modo recensitam dignitatem Praeceptorum seu Magistrorum generalium, Romae residentium, Medicae Facultati gloria tanto maior ex eo nascitur, quod, quantum mihi innotuit, praeter praedictum *Petrum* BARBONEM, ad minimum par Medicorum illustrem hanc dignitatem obtinuerit. Hi fuere *Michael* MERCATUS *n*), Italus, Miniatensis, qui non tantum Hetruscae atque Romanae nobilitatis particeps factus, sed & a Sixto V. Protonotarii apostolici munere ornatus, Cardinalem Hippolytum Aldobrandinum, Sedis Apostolicae Nuncium, in Poloniam comitatus est, ut in hoc negotio eidem assisteret. Qua occasione non tantum in pacis negotio, inter Regem Poloniae Sigismundum III. & Archiducem Maximilianum gesto, officio suo egregie fungebatur, sed & adeo Cardinali Aldobrandino sese commendabat, ut ille, cum, Clementis VIII. sub nomine, solium pontificale conscenderet, in rebus summe arduis ipsius consilio uteretur, eundemque haud diu post illud tempus, Magnum Praeceptorem seu Commendatorem Sti Spiritus in Saxia designaret: verum antequam splendidissimi huius muneris possessionem adiret, anno 1593. diem obiit supremum, qui certe, si vixisset, ad dignitates multo splendidiores evectus fuisset. Alter, *Iulius de* ANGELIS *o*), est e gente quadam nobili, Lucana in Dioecesi oriundus, cui purpuratorum aliqui, episcoporum & antistitum originem suam de-

n) Vid. *Prosperi* MANDOSII Theatrum, in quo Max. Christ. Orbis Pontif. Archiatr. exhib. Romae 1696. p. 165. 166. MANGETI Biblioth. Script. med. Tom. III. p. 308.

o) MANDOSIUS l. c. p. 135. 136.

debent; hic per annos multos in Pisana, dein Romana Academia, publice & cum laude medicinam docuit. Tandem summi Pontificis Clementis VIII. Archiater factus, ab eodem Sti Spiritus in Saxia Praeceptoris magni munere donatus est, uti ex sepulcrali inscriptione, in Aracoelitano templo Romae incisa, & apud MANDOSIUM l. c. legenda, patet.

§. X.

Ordo Sti Christi antiquissimorum atque ditissimorum Ordinum e numero celebris est, cuius Protectorem & supremum Magistrum, ab anno 1550. Lusitaniae Regem esse constat. Rex Dionysius anno 1317. Ordinem fundavit, & largissimos reditus ex Templariorum bonis, Fisco addictis, constituit. Ordinis Fratres in Commendatores, Crucigeros maiores, Equites & Presbyteros distinguuntur. Claustra quoque existunt, quae Monachos Ordini addictos alunt, qui S. Basilii regulas sequuntur. Quod ceteroquin Equites facultate gaudeant, uxores ducendi, nota res est. Ordinis insigne est crux rubra, in extremitatibus lata, Italis *Patente* vocata, quae alia candida vel argentea secatur, eamque Equites in atro *p*), vel potius, ad mentem HELYOTI *q*), in longo & albo amictu, vel pallio, gerunt. BONANNUS l. c. rubram crucem auro esse inclusam, & albo in amictu gestari, refert. Gerunt praeterea equites in pectore auream crucem, albo colore, encausto pictam, triplice torque collo appensam, vel etiam ligamine serico, quod quidem HELYOT, MENENIUS, BONANNUS, GRYPHIUS, & alii silent. RAMMELSBERGIUS *r*) quidem huius crucis meminit, sed pro more, absque autoris nomine. Crucem vero non solum

in

p) Vid. MENENIUS l. c. pag. 114.

q) Tom. VI. p. 87.

r) *I. W.* RAMMELSBERG, *Beschreibung aller geistl. und weltlichen Orden*, *X. Stück* pag. 95.

in amictu acu pictam, ſed & aliam collo, ligamine ſerico appenſam, geſtari, ex nummo in honorem Perilluſtris GARELLI a Veſtnero cuſo, video. Nec minus ex icone *Io. Curvi* SEMMEDO patet, eum crucem, in forma nummi torque appenſam, geſtaſſe. Ordinis enim huius ſigno & celebris ille ac doctus Archiater Sac. Caeſ. Maieſtatis, *Pius Nicolaus* GARELLUS, nituit *s*), pariter & *Io. Curvus* SEMMEDO *t*), qui ſe Ordinis Chriſti Equitem auratum, Sancti officii familiarem, & Domus Regiae Medicum in Portugallia dixit. Porro quoque D. *Andr. Iacob. de* FACKH *u*), Philoſ. & Med. Doctor, Regii in Luſitania Ordinis Chriſti Eques, Proto-Medicus, & Archiater Caeſareus. Praeter hos ſingulos alii adhuc Medici, ad numerum quinque, ex teſtimoniis *x*), celebri Ophthalmico, *Ioh. Taylor*, datis, his in oris inclaruerunt. Hi fuere D. *Emanuel dos* REYS *&* SOUSA, D. *Ioh. de* ALBONESCA, D. *Benedictus* GOMES *dos* SANTOS, D. *Amarius* ROGEIRA

s) Vid. BRÜCKMANNI Epiſtol. itiner. Centur. I. Epiſt. XXI. de duobus nummis, celeberrimi huius Medici in honorem cuſis. Prolixius in Commentatione: *de Nummis in Medicorum honorem & memoriam cuſis*, agam.

t) Vid. RATHLEF *Jetzlebendes Gelehrtes Europa*, Tom. VIII. p. 382. Poſſideo in iconophylacio meo Medicorum locupletiſſimo, duas icones *Ioannis Curvi* SEMMEDO, aeri inciſas, quarum altera 1689. a Iohanne Valck, & altera 1716. a M. Doſſier excuſa eſt. In poſteriore Ordinis ſigno notato, hanc inſcriptionem legimus: *Ioanno Curvo Semmedo, Cavalleyro profeſſo da Ordem de Chriſto, Familiardo S. Officio, & Medico da Caza Real; Natural de Montforte; naſcido em Oprimeiro de Dezembrode, mil ſeiscentos & trinta, & cinco deidade devitenta & hum annos.*

u) Vid. BRÜCKMANNI Epiſtol. itiner. Cent. I. Epiſt. XXI. & XXII.

x) *Sammlungen und Urtheile der vornehmſten Akademien von Europa über den beglückten Fortgang derer Operationen des Herrn Jo. Taylor.* Franckf. am Mayn 1751. 8v. p. 33. 34. 35. 42. 61.

GEIRA *da* COSTA, D. *Emanuel* MONTEIRO *de* FONSECA, qui ſinguli Profeſſores atque Lectores in Facultate Medica Academiae Conimbricenſis extitere. Inſuper & me legiſſe memini, quod anno 1599. tempore peſtis, Lisbonae, par Medicorum celebrium Ordinis Chriſti Equitum nomine ornatum fuerit *y*), quod nimirum viri iſti durante peſtis tempore in civitate manſerunt, & aegrotos curarunt, quorum vero nomina non innotuerunt. Addimus his *Iacobum de* LARGE *z*), natione Gallum, & Facultatis Medicae Pariſinae Doctorem, qui circa annum 1666. apud Mariam Franciſcam Eliſabetham, Nemorenſem, Luſitaniae Reginam, & Alphonſi IV. coniugem, Archiatri munus implevit, & Eques Ordinis Chriſti creatus eſt. Non ita pridem quoque *Chriſtophorus* MEIGHAN, Medicinae Doctor, Eques Ordinis Chriſti, & Academiae regiae Scientiarum Rothomagenſis Membrum, natione, ut puto, Anglus, Tractatu de Fontibus medicatis de Barreges, Londini MDCCLXIV. iterum edito *zz*), inclaruit.

§. XI.

Ordinibus ſecularibus antiquis equitum, in Gallia *Ordo Sti Michaelis* accenſendus erit, Amboiſiae a Ludovico XI. anno 1469, ipſis Calendis menſis Auguſti, inſtitutus. Tempore fundationis, placuit autori, numerum 36. equitum ſtabilire, qui ſolummodo huic Ordini adſcriberentur. Hi tempore primo inſtituti Ordinis pro ſigno gerebant nummum memorialem, cui imago erat impreſſa Sancti Michaelis cum Dracone pugnantis. Signum iſtud ex aurea catena pendebat, conchis aureis ornata,

y) Vid. *Caſp. Cald. de* HEREDIA Tribunal magico-medicum Tom. I. pag. 514.

z) Vid. MATTHIAE Conſpectum Hiſtoriae Medicorum chronologicum, p. 735. §. 944.

zz) Vid. Journal des Scavans 1765. p. 396.

ornata, & aureis nodis connexa. Splendidus admodum erat hic Ordo, & multum habebat ponderis, qui, referente BUSSIERO *a*), tunc tantae dignitatis censebatur, ut cum Ordine aurei Velleris ac Periscelidis aequo honore coleretur. Ludovicus XI. cum florere inciperet Ordo, quindecim modo equites creavit, quorum in numero regni sui Duces potentissimi, Comites, atque Ministrorum principes fuere, eorumque nomina in Scriptis HELYOTI, MENENII, aliisque libris Ordinum historiam tradentibus, inveniuntur. Conferebatur quoque postea Regibus atque Principibus magnis extraneis, in singulare amicitiae & honoris signum, ipseque Imperator Carolus V. quovis festo die Sti Michaelis eodem indutus fuit *b*), quemadmodum e contrario Galliae Rex Franciscus I. aurei Velleris insignibus cinctus apparebat, eo die, quo festum Sti Andreae celebrabatur. Cum idem Franciscus I. Magnae Britanniae Regi Henrico VIII. Ordinem Sti Michaelis misisset, hic statim grati animi testificandi causa, Equitibus Ordinis aureae Periscelidis eundem Franciscum vicissim adscripsit *c*). Autoritas atque praerogativa Ordinis temporibus Henrici II. Galliae Regis non minor fuit, quippe qui nova ornamenta eidem non solum addidit, sed & Ordinis ministros lauto amictu multo splendidiores reddidit. Ast, licet Carolus IX. adhuc anno 1572. ante diem Sti Michaelis vespertino tempore, celebri cum pompa, in solio regio ornatu splendido sedens, Ordinis solennia faceret, & Regum Hispaniae, Daniae ac Sueciae, tanquam sociorum illius Ordinis, regnorum arma, sub alio regio solio, e panno serico auroque textili effícto, una cum insignibus Ordinis Sti Michaelis decorata, in altum expandi iussisset, tamen Francisci II. Caroli IX. & Hen-

a) BUSSIER Historiae Francicae Lib. XIII. p. XXIV.

b) Vid. SANDOVAL Hist. Caroli V. Lib. III. §. XIX.

c) Vid. ASHMOLE Institution, Loix & Ceremonies du tres noble Ordre de la Jarretiere, in fine.

rici III. aevo, Ordinis huius autoritas magnam iacturam facere ac deminui incipiebat, illa ex ratione, quod numerus equitum nimium in modum augeretnr, unde dignitas & eminentia, quae Ordinis equitibus alioquin adhaeret, valde minuebatur, imo evilescebat.

Cum Henricus III. *d*), Rex Galliae ac Poloniae, anno 1578. Ordinem Sti Spiritus sanciret, Ordo quidem Sti Michaelis nihilominus retinebatur & valuit, dignitasque Cancellarii Ordinis Sti Michaelis, cum dignitate Cancellarii Ordinis Sti Spiritus miscebatur. Verum tamen Ordo Sti Michaelis pristinum suum splendorem nancisci non poterat. Quapropter Rex Ludovicus XIV. anno 1665. omnes equites abrogabat, centum solummodo servatis, quem numerum sanctum esse volebat, sanciebatque ne unquam excederetur. Horum in numero sex equites ecclesiastici esse debebant, vel Abbatiarum veri possessores, vel aliorum munerum ecclesiae splendidiorum antistites, vel Templis cathedralibus, vel Collegiis sacris adscripti; sex alios equites togatos e Collegiorum civilium numero, splendida munera magistratuum gerentes, seligi iubebat. Reliqui equites LXXXVIII. equites gladii, seu Chevaliers d'Epée, dicebantur. Tenore Statutorum, quae eo tempore Ordini dabantur, aeque in ecclesiasticis ac secularibus equitibus requirebatur, ut tribus generationibus a latere paterno illustres, ac decennali munere functi essent, quibus requisitis accensebatur, ut religionem catholicam profiterentur, cum alio tempore & evangelicae religioni addicti *e*) ad illum ordinem admitterentur, cuius veritatis exempla in *Claudio* SALMASIO, item in praefecto classis

d) Vid. Recueil de diverses pieces, servant a l'histoire de Henri III. Roi de France & Pologne, dans le Journal du regne de Henri III. p. 34. HELYOT l. c. Tom. VIII. p. 445.

e) Histoire de l'Edit de Nantes Tom. III. Liv. III. pag. 180. Liv. IV. pag. 257.

claſſis maritimae *Michaele* Ruytero, multisque aliis occurrunt. Quo maior autoritas illius Ordinis eſſet, lege decretum fuit, ut equites Sti Spiritus veſpera, actum equeſtris nobilitatis ſolennem praecedente, Ordine Sti Michaelis induerentur; hinc & duplici Ordinis catena arma illorum gentilitia cinguntur. Equites Ordinis Sti Spiritus in latere, Ordinis ſui crucis adverſo, ſignum Ordinis Sti Michaelis oſtendunt. Verum ac genuinum Ordinis Sti Michaelis ſignum Helyotus, aliique Ordinum Scriptores parum accurate tradunt, ac diverſimode explicant; comperta tamen fide aſſerere valeo, quod Equites praeſenti tempore illuſtres, aurea cruce octangulari, Melitenſi ſimili, encauſti operis margine albo notata, induantur. In intervallo quatuor angulorum interiorum crucis, lilium aureum floret. In media & orbiculari parte crucis, candido colore opere encauſto parata, effigies Archangeli Michaelis cum Dracone pugnantis, apparet. In octo apicibus crucis, octo globuli aurei cernuntur, ipſa vero crux a ligamento nigro, macerato, quod collum cingit, demiſſa, pectori ſuperimpendet; more quidem Statutis Ludovici XIV. adverſo, quibus ſancitum fuit, ut crux ab atro & lato ligamento pendens, ad modum praecinctorii gereretur.

Occaſione illa, qua in Novis publicis Ultraiectinis gallici idiomatis, die XXIII. menſis Maii, anni MDCCLX. & die XXVI. menſis Ianuar. anni MDCCLXII. binorum Capitulorum Ordinis mentio facta eſt, de cruce Ordinis, ſupra memorata, deſcriptio ſimul traditur, ſigno crucis ex aſſe reſpondens, in figura aenea nitide expreſſa, conſpicuo, quae imaginem celeberis *Georgii Mareſchalli*, autore Daullé, viro artis ſuae peritiſſimo, refert; de quo *Mareſchallo* infra mihi locus dicendi erit. Nonnullis in libris, qui Ordinum hiſtoriam tradiderunt, exempli cauſſa in Commentatione Rammelsbergiana *f*), locus oc-

e 3 currit,

f) Rammelsberg l. c. p. 28.

currit, ubi afferitur, quod Equites hanc crucem ligamento rubro, ad manus latitudinem extenſo, alligatam, ab humero dextro ad laevum usque femur demiſſam, gerant; inſuper & in ſiniſtra pectoris parte, crux aurea & magna, in tunica, acu picti operis, quadrangularis, apicibus obtuſis notata, fingitur, cuius in extremitate ſuperiori ac inferiori littera P. ad latus dextrum vero & ſiniſtrum littera F. auro contexta, appareat. In media parte crucis ſcutum aureum, mediae formae, haerere dicitur, cui Angelus Michael cum Dracone aeque ac Ordinis ſigno intextus, inſideat, manu ſiniſtra ſcutum caeruleum litteris aureis L. R. notatum, dextraque manu enſem tenens; in angulis vero acu pictae crucis fulmina aurea quod appareant, contenditur. Cum a RAMMELSBERGIO nulla Autorum teſtimonia adducantur, affirmare haud valeo, quo veritatis fulcro haec commemoratio nitatur, quam certe falſam eſſe credo, eiusdemque fidei cum HELYOTI ſententia, qua contendit, Ordinum Capitula, abhinc longo tempore, non amplius celebrari, ac Equites ſolummodo connivendo crucem ligamento coeruleo appenſam, & in clavi fiſſura tunicali haerentem, ſecum ferre.

Recentiori aevo, diverſa Ordinum capitula celebrata ſunt: nimirum anno MDCCLVIII. quarto Decembris die, Cordigerorum in conventu, cui actui ſolenni Marchio de Puyſieux, Status Miniſter, Eques Ordinum regiorum, pallio & monili Ordinum indutus, Regis nomine praeſidebat; nec non alio tempore eiusdem generis actus ſolennis habebatur, die VIII. menſis Maii, anno MDCCLX. in Magno Conventu Fratrum Obſervantiae religioſae, quo in actu Dux de Fleury unus ex Paribus Regni (*Pair*), Ordinumque regiorum Eques, pari modo, Regis ſub nomine, praeſidium tenebat, & equites ſolenniter creabat. Deſignavit equitum aliquis ex Ordine Sti Michaelis, Perrotinus de Barmond, fundum peculiarem, ad cudendam monetam auream magnam, quae Regi a Secretario Ordinis, quoties-

tiescunque ſolennia celebrantur, traditur. Tali modo, Vir celeberrimus, Illuſtris Dominus *Io. Baptiſta* BOYER, Regis Conſiliarius, Medicus in Supremo Senatu, ac in Generali Praefectura Pariſienſi, Decanus Facultatis Medicae Pariſinae, Militarium Regni Noſocomiorum Inſpector, Librorum Cenſor regius, Societatis Londinenſis Socius, Eques & Secretarius huius Ordinis, praedictam monetam Regi, tanquam Ordinis Magiſtro generali, die XXX. Iun. anni MDCCLX. obtulit, quippe qui honor & alio tempore, nimirum die II. Ian. MDCCLXV. celeberrimo BOYERIO contigit, id quod ſupra adductae litterae Batavae d. XVIII. Iul. MDCCLX. & IV. Ian. MDCCLXV. teſtantur.

§. XII.

Cum Ordo Sti Michaelis perſaepe viris doctis & varios ob artes inſigni fama praeclaris, tribueretur, levis admodum erit cauſſa, quae mirum aliquem habere poſſit, cur, antiquioribus aeque ac recentioribus temporibus, non pauci Medicorum illius muneris participes facti ſint. Inter antiquiſſimos huius Ordinis equites, locum ſibi merito vendicat *Antonius Muſa* BRASSAVOLA *g*), vir valde eruditus, & medica, quam profeſſus eſt, arte celebris, quem multi Pontificum, Imperator Carolus V, Henricus VIII. Angliae Rex, multique inſuper alii Reges ac Principes titulo Archiatri donaverunt, Rex vero Franciſcus I. cognomine *Muſa* illum decoravit, vel in memoriam *Antonii Muſae*, quo cum aequo potitus honore, vel, referente ac ſentiente BORSETTIO l. c. ac ſi ſcientiarum autor extitiſſet; cum omnibus in ſcientiis valde verſatum & eruditum illum fuiſſe, conſtet. Diverſis enim in Academiis BRASSAVOLA, triduo opere

g) Vid. BARUFFALDI Commentario iſtoricho erudito all' inſcrizione di Antonio Muſa Braſſavola &c. Ferrariae 1704. 4to & Hiſtoriae Almae Ferrariae Gymnaſii per *Ferrantem* BOSSETI, Pars II. pag. 133.

opere continuo, theſes de quocunque variarum ſcientiarum argumento defendit. Idem ille Rex magnus, doctrinae & artium Cenſor iuſtus, BRASSAVOLAM Archiatri titulo & munere donavit, ut & ordine equeſtri Sti Michaelis, qui tempore ante nominato maxima adhuc autoritate fulgebat. Monumentum, quod Ferrariae in honorem BRASSAVOLAE exſtructum cernitur, ſingula honoris officia, aeque ac titulos, quibus honoratus fuit, iuſto numero explicat. Inſignis praerogativa atque honor, quibus Franciſcus I. BRASSAVOLAM ornavit, dum Ordinis munere illum donaret, quo ipſe tanquam Ordinis Magiſter generalis fulgebat, & quo Imperator Carolus V. item Angliae Rex Henricus VIII. velut ornamento eodem tempore induebantur, cuiusque nonniſi magni Principes & Regni miniſtri participes fiebant, luculentum teſtimonium perhibent, quanto in pretio huic Principi fuerint viri virtutis atque doctrinae praeſtantia inſignes: niſi iam de regio, quo viros doctos amplecti ſolebat, favore, multa documenta in monumentis hiſtoriae litterariae reperiantur. Quantumvis & Carolus V. cum Franciſco I. continua fere in lite verſaretur, uterque tamen in eo conveniebat, quod eruditos, interque eos praecipue Medicos, gratia ſua dignos exiſtimaret; cuius veritatis unicum modo exemplum, maiori e numero, adducere lubet. Cum par iſtud Principum, praeſente Pontifice Paulo III. Nizzae, urbe in Provincia Gallica, MDXXXIII. inducias decennales pactum eſſet, ſingulique Principes congreſſum ſolennem in Aquis mortuis celebrarent, ibidemque amice convivarentur, *Andreas* CIBBO, Peruſinus, illuſtri familia natus, prudentia, morum elegantia, ac eruditione omnibus carus, Archiater Pontificis Pauli III. unicus ex omnibus Miniſtris, in eminentiore dignitate conſtitutis, fuit, qui convivio horum Principum intererat, & augendo conſortio adhibebatur *h*). Patebit quoque e ſequentibus,

h) *Caeſar* CRISPOLTUS in Perugia Auguſta, Lib. III. pag. 335. *Proſp.* MANDOSIUS l. c. p. 25.

tibus, Imperantes binos antedictos, plurimam equitum auratorum partem denominasse.

. Facile ceteroquin fidem invenit, illo quoque tempore, quo Ordinis splendor minuebatur, multos e Medicis illi adscriptos fuisse, quorum nomina parum innotuerunt. Verum notatu dignissimum factum censeri meretur, quod Rex Ludovicus XIV, restituto hoc Ordine, annoque MDCLXV. in meliorem statum redacto, novisque legibus adornato, mox circiter anno MDCLXIX. vel MDCLXX. clarum illum Medicum & Antiquarium, *Iohannem Baptistam* CAPPONIUM *i*), Medicinae Professorem Bononiensem, in hunc Ordinem susceperit, postquam ipse nummum Othonis aeneum Aegyptium, una cum erudito Commentario, in quo nummum suum protulit & interpretatus est, Regi Christianissimo obtulisset. *Antonius* DEIDIER, Consiliarius Regius, olim Professor in Facultate Montepessulana, Membrum Societatis Londinensis, & Medicus regius in triremibus Massiliensibus, nomine Equitis Ordinis Sti Michaelis aeque clarus fuit, id quod e rubro diversorum scriptorum ab illo editorum apparet, e. c. in titulo Anatomiae illius explicatae, in Consultationibus ipsius medicis, aliisque ab illo & haeredibus in lucem missis operibus. Scriptores biographici Medicorum pauca de illo referunt, quin & Vir eruditus, ELOY, conterraneus eius, in Lexico historico-medico, plane nihil de illius vita tradit, sed modo Dissertationis alicuius, anno MDCCXXIII. de Morbis venereis impressae, mentionem iniicit, cum tamen longe maior numerus operum doctorum sub nomine illius innotuerit, in quibus Italus ille, qui Lexicon Eloycum, Neapoli MDCCLXI. prelo mandatum, sua civitate donavit, varia recenset. DEIDIERUS iamiam seculo praeterito vixerit,

i) de CAPPONIO vid. *Prosperi* PARISII Rariora Magnae Graeciae Numismata, 1683. in fol. in Praef. *Christ. Arnoldi* p. 9.

xerit, necesse est; eius enim Physiologia, tribus Dissertationibus comprehensa, iam anno MDCCVIII. in urbe Montepessulana prelum evasit. Consultationes eius & Observationes medicinales, anno MDCCLIV. illo iam mortuo, Parisiis evulgatae sunt. Praeterea de eodem comperi, quod in an. MDCCXX. quo pestis in urbe Massilia dire saeviebat, una cum Cancellario Academiae Montepessulanae, illustri *Francisco* CHICOYNOVIO postmodum anno MDCCLII. demortuo, quo tempore Status Consiliarius, Archiater, & Inspector Generalis Mineralium in regno aquarum audiebat, nec non VI. aliis Medicis Montepessulanis, iussu Ducis regentis, ad locum antedictum, in auxilium aegrotorum missus fuerit. Hac sparta tam bene fungebatur, officiorum ingenua praestatione, ut Episcopus Massiliensis, qui, velut Pastor bonus, urbem non deseruerat, sed aegrotos, summis in angustiis constitutos, integerrima ope iuverat, publicis litteris *k*) eundem, una cum CHICOYNOVIO & BOUTILLIO, valde extolleret collaudaretque. Diversae DEIDIERII exstant Dissertationes breves, ac peculiares litterae ac observationes, quae tempore pestis, & haud ita multo post, in lucem prodierunt, plurimam partem Tractatui, de Causis morborum, & pestem sanandi modo, anno MDCCXLIV. iubente Rege evulgato, insertae sunt. Editor illius operis, tempore, quo typis illud mandatum fuit, simul excudendam non curavit Orationem a DEIDIERO de Pestis contagio in Academia Montepessulana olim habitam; quae vero nunc in tertia parte Consultationum ipsius legitur. Illustris CHICOYNOVIUS Massiliae, & postmodum in Oratione Montepessulana, publice defenderat, pestem illam non magis fuisse contagiosam, quam de febribus acutis, morbo miliari, variolis, aliisque morborum generibus malignis contenditur, sed solam caussam mortiferam peiorem in effectu terroris metusque latere. Verum experientia docuit, quam

k) *Breslauer Samml. XIV. Versuch*, p. 523.

quam damnosi eventus haec sententia fuerit *l*), & quantum oriri malum potuisset, dum Magistratus ad sententiae illius tenorem rationes suas componeret, eodemque placito tanquam norma rerum disponendarum uteretur. Celeberrimus ASTRUC, illo tempore Professor in Academia Montepessulana, publico statim examini Dissertationem submittebat, qua defendit, pestem omnino esse mortiferam, aërisque particulis noxiis, quibus ille scateat, corporibus sese insinuare *m*). Cum anno MDCCXXV. DEIDIERUM ordo Orationis solennis tangeret, hic admodum circumspecte utramque sententiam refellit, adeo ut adversarii illius instituti sui rationem fere nullam animadverterent, ex qua de argumento, in illos directo, coniicere possent: Quam suspicionem eo avertebat, quod alios viros doctos nominaret, qui eandem cum CHICOYNOVIO & ASTRUCIO sententiam foverant; contendebatque, non quidem aëris qualitate corpora venenari, sed per contactum immediatum vestimentorum, a contagio pestis infectorum, malum istud disseminari. Huic dissensui de contagio pestis inter Medicos nascenti, Illustrissimus Franciae Cancellarius DAGUESSEAU providum hoc & bene ponderatum iudicium addidit: pestem non quidem esse contagiosam, plebi esse persuadendum, sed tamen magistratibus in rebus disponendis ordinem eligendum esse, qui contrariam sententiam foveat, quo omnis contagio arceatur.

Cum in Scriptis biographicis medicis, de *Antonio* DEIDIERO nihil plane consignatum reperiatur, huic themati de curriculo vitae ipsius, modo paulo prolixiori, immoror, suspicans nimirum, quod, deleta peste Massiliensi, mox Ordinem Sti Michaelis

l) Vid. ANTRECHAUT Relation de la Peste, dont la ville de Toulon fut affligée en 1721. a Paris 1756. p. 360; 361. *Breslauer Samml. XV. und XVI. Versuch.* p. 374.

m) Journal des Scavans 1756. Fevr. p. 333.

chaelis, in praemium praeſtitae ab ipſo operae, adeptus fuerit, cuius muneris alii quoque multi participes facti ſunt, de quorum zelo ſingulari, in adimplendis officiis, conſtitit, & quorum numero ante nominatus d'ANTRECHAUT *n*), Telonenſis Conſul primus, pari mactatus honore, cum ſtipendio annuo ad dies vitae mille librarum, adſcribi meruit. Cura Ducis regentis paterna, ad extinguendum iſtud malum ſuſcepta, ne in maius exitium vergeret, cauſa fuit, quod Medicis atque Chirurgis, durante peſtis intervallo, lauta ſtipendia deſignarentur, ad excitandam eorum operam, in defungendo ſanandi munere. Inter alios Chirurgi Telonenſes, ab aula hunc in locum miſſi, menſtruam mercedem quingentarum librarum monetae Gallicae accipiebant *o*), ſinguli vero Medici Maſſilienſes auctoramento donabantur, quod annuum illis ſtipendium quadringentarum librarum ad vitae tempus promittebat, eiusdemque civitatis Chirurgis, modo proportionato, annuum tale beneficium decernebatur. Seligebatur quoque par Medicorum, quod Telonium mitteretur e Facultate Pariſina, Doctores MOINE & BAILY, quibus, praeter Summam quinque millium librarum, unicuique pro abſolvendo itinere ſeorſim deſtinatam, menſtruum adhuc ſalarium, nimirum decem millium librarum, quamdiu in loco peſtis commorabantur, ſolutum fuit, quo tempore finito, auctoramento annui ſtipendii mille & ducentarum librarum, ad dies vitae honorati fuerunt *p*). Malo hoc quam feliciſſime eruncato ſtipendia, inſuper beneficia, Ordines equeſtres, aliaque honoris ſigna, in bene meritos conferebantur, de quibus ſubinde diſſerendi mihi locus erit.

Quod illuſtris Dominus *Iohannes Baptiſta* BOYER, Conſiliarius, Medicus in Supremo Senatu, &c. variis Diſſertationibus ſcrip-

n) Vid. d'ANTRECHAUT l. c. p. 291. p. 379. 380.

o) Vid. d'ANTRECHAUT l. c. p. 287.

p) Vid. *Breslauer Samml. XV. und XVI. Verſuch* p. 45. p. 601.

ſcriptisque eruditis clarus, Eques huius Ordinis, eiusque ſecretis praefectus ſit, iam antea aſſerui. Num vero Ritus & inſigniora ſaluberrimi Medicorum Pariſienſium Ordinis decreta, quae ſecunda vice anno MDCCXVI. Lutetiae in lucem prodierunt, ac autorem ſuum *Io. Bapt.* Boyerium profitentur, huic Viro eruditiſſimo originem ſuam debeant, certo affirmare non poſſum. Libri huius copia noſtris in oris nulla plane datur, & licet liber ſub titulo: *la France litteraire*, Pariſiis editus, de facti certitudine ſpem aliquam promittere poſſet, ſatis tamen conſtat, quod in iſto libro, maximus eruditorum nominum numerus indice accurato atque integro operum, ab illis editorum, deſtitutus ſit. Praecipue illum defectum, Medicorum in numero recenſito, obſervavi; &, quod maxime miror, de celeberrimo Boyerio neque nomen notatum, nec aliud quicquam de illo conſignatum reperitur. Prouti in Facultate medica Pariſienſi mos ille obtinuit, ut in honorem Decani de munere ſuo decedentis, nummus memorialis, cum illius effigie cudatur; idem h nor quoque anno MDCCLVI. Boyerio illuſtri & doctiſſimo contigit. In altera parte huius monumenti imago eius nitide effícta, ad pectoris ambitum usque expreſſa, directo in laevum latus vultu, cernitur, cum ornamento crucis Ordinis Sti Michaelis, a ligamento collum cingente pendentis, inſcriptaeque huic monumento leguntur litterae: *I. B. Boyer Reg. St. Mich. Ord. Eq. F. M. P. Dec.* In parte inferiori: *I. Du Viv.* 1765. quae litterae ita explicandae: *Ioh. Bapt. Boyer, Regii Sti Michaelis Ordinis Eques, Facultatis Medicae Pariſinae Decanus. Io. du Vivier* nomen monetarii illius celebris, a quo diverſa huius formae opera prodierunt, indicat. Alterum latus arma, vel inſignia ipſius gentilitia habet, nimirum taurum ac ſtellam alte nitentem, in campo coeruleo. Clypeus armorum, cum Ordinis catena & cruce Ordinis Sti Michaelis inde demiſſa, in conſpectum datus; integer vero ornatus corona comitiva tegitur, cuius generis coronam in num-

mis compluribus Decanorum Facultatis Medicae Parisiensis me vidisse memini; e. c. in monumento A. DOUTE, Decani in annis MDCCXVII. & MDCCXVIII. Utrumque latus armorum BOYERII laureolas tenet, sub quibus par sceptrorum, pulvinari incumbens, cum serto stellato, tanquam signis dignitatum academicarum, apparet. In ordinis Capitulo, anno MDCCLVIII. celebrato, quoque Dn. *Claudius* BOURDIER *de la* MOULIERE, Doctor Regius Facultatis Medicae Parisinae, ac Dn. *Caspar Cochin* DUPUY, eiusdem Facultatis Doctor regens, Regis Consiliarius, Medicus primarius rei nauticae, & in arce maritima Rupifortensi Anatomes ac Chirurgiae Professor regius, una cum aliis nonnullis Ordini Medicorum non adscriptis, Equitum Ordinis dignitatem consecuti fuerunt. Cum festum Ordinis solenne anno MDCCLX. celebraretur, Dn. *Richardus de* HAUTESIERCK, primus exercituum Medicus, salubris Consilii regii Socius, nec non militarium regni nosocomiorum Inspector ac Proto-Medicus, Regiae Scientiarum Academiae Goettingensis Socius, in equestrem hunc Ordinem adoptatus fuit, cuius Formulae medicamentorum Nosodochiis militaribus applicatae, Casselis anno MDCCLXI editae, in Germania innotuerunt. Non dubito, quin & alii complures e docto Medicorum cœtu, præter ante nominatos, dignitatis equestris participes facti sint. Quodsi enim Codicem medicamentorum Parisiensium inspicio, qui anno MDCCLVIII. in lucem mittebatur, in praemisso Operi catalogo Doctorum regentium Facultatis Medicae Parisiensis, nomina diversorum membrorum mihi occurrunt, quibus vocabulum Eques, additum reperitur. Eorum in numero sunt Viri celeberrimi: *Franc.* POUSSE, *Michael Ludovicus* VERNAGE, Censor regius, *Nic. le* ROY *de St. Aignan*, *Lud. Maria* POUSSE, Censor regius, *Car. Franc.* THEROULDE *de* VALLUM, *Io. Franc. Clemens* MORAND, Reg. Soc. Lugd. Socius, Regii Medicorum Nancianorum Collegii Socius honorarius, *Claudius Franc.* GRANDOLAS, Potentissimi Stanislai, Poloniarum Regis, Lotharingiae &

Ba-

Barensis Ducis, Consiliarius & Medicus, nec non Anatomes & artis obstetriciae in gratiam matronarum p. t. Professor, *Petrus Abraham* PAION *de* MONCEL, *Theophilus de* BORDEU, Nosocomii regii & militaris Boregiensis Medicus designatus. Cum nominibus *Cochin* DUPUY & BOURDIERII *de la* MOULIERE, hoc in Indice notatis, vox, Eques, adiecta reperiatur, & iam antea innotuerit, quod anno MDCCLVIII. Ordinis Sti Michaelis honore mactati fuerint, ambiguus haereo, num ad Ordinem, de quo nobis sermo est, referendi, an potius vox, Eques, pro *Ecuyer* seu *Armiger* nominibus addita sit, cuius verbi vis ex *Henrici* SPELMANNI Glossario, vel ex P. DANIELIS Historia militiae Gallicae petenda. Forte etiam acquisitae nobilitatis signum esse potest, eo magis, quod in Gallia haud raro contingit, ut viri bene de republica meriti nobilitentur, quo honore dignissimus ille Archiater FAGONIUS, illiusque celebris successor CHIRACIUS, ut & CHICOYNOVIUS nuper demortuus, aliique plures enituerunt. Imo clarius hoc apparet ex diplomatibus variis nobilitatis, quae *de* VAUX Iudici suo funereo Chirurgorum Parisiensium adiecit, in quibus expressis verbis nobilitati, cum nominibus & honoribus nobilium & armigerorum, *de Nobles & d'Ecuyers*, salutantur & decorantur.

§. XIII.

Posteaquam in Gallia a temporibus Francisci I. doctrinae medicae, ceterarumque scientiarum, quae illi adhaerent, utilitas cognita atque perspecta fuit, imprimis quoque Chirurgiae studium praecipuis doctrinae partibus accensetur, praeceptisque solidioribus imbuuntur, qui huic arti operam navant. Complures docti viri, hanc artem professi, inclaruerunt, amplissimis non tantum muneribus & honorum titulis conspicui, sed & nobilitatis gradum quoque cum beneficio Ordinis Sti Michaelis consecuti. Nulla adeo amplius caussa superest, quae

mirum

mirum aliquem teneat, cur Chirurgia hoc in regno prae reliquis maturiorem ſplendorem nacta fuerit. Quodſi Indicem Chirurgorum Gallicorum *q*), praeſenti adhuc tempore clariſſimorum, & in hoc artis genere verſatiſſimorum, quos membris Academiae chirurgicae Pariſinae adſcriptos eſſe novimus, luſtrare lubeat; ſtatim in fronte huius Indicis nobis occurrit celeberrimus Academiae Chirurgorum Praeſes, *Germanus de la* MARTINIERE, Armiger, Regis a Conſiliis, eiusdem Chirurgus primarius, Eques Ordinis Sti Michaelis, Chirurgus regni praecipuus, Academiae Regiae Holmienſis Socius. Sequitur hunc modo celeberrimus *Salvator* MORAND, Armiger, Membrum Acad. Reg. Scientiarum Pariſ. Soc. Reg. Londin. & Academiarum Rothomagenſis, Petropolitanae, Bononienſis & Florentinae, Cenſor regius, Inſpector Noſocomiorum militarium generalis, & Chirurgorum Praefectus in Noſocomio regio militum invalidorum. Fuit quoque Secretarius perpetuus Academiae Chirurgicae Pariſinae, quo munere cum ſe abdicaret, in eius locum Dominus LOUIS, variis editis ſcriptis inclytus, ſucceſſit. Porro ad eandem Ordinis dignitatem adſcenderunt celeberrimus PIBRAC, Armiger, Eques Ordinis Sti Michaelis, Chirurgorum Praefectus in Schola regia militari, & denique clariſſimus PARCHET, Armiger, Eques Ordinis Sti Michaelis, Regis a Conſiliis, & Chirurgus primarius Regis utriusque Siciliae. Viginti & aliquot anni erunt, quo intervallo ante hoc tempus, celeberrimus ille *Georgius* MARESCHALLUS eodem honore fruebatur. Praeſidum ille primus exſtitit in noviter Chirurgorum Academia erecta, Conſiliarius regius erat, eiusdemque inter Chirurgos primus, Dynaſta de Bievre, aliarumque terrarum, de quo iam antea mentio facta eſt. Cum vero, quantum memini, & ex monumentis hiſtoriae litterariae gallicae patet, primus

q) Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie a Paris 1757. 4to mai. Tom. III. in Praef.

mus ille inter Chirurgos fuit, ad quos Ordo hic gratiose pervenit, brevissime quaedam de vitae eius fatis tradam, iisdemque nonnullas observationes, illuc spectantes, subiiciam. Patrem ille habuit, militum in exercitu gallico ordines ducentem, tantumque filius apud Regem Ludovicum XIV. gratia valuit, ut anno MDCCVII. nobilitatis genere illum donaret. In Diplomate nobilitatis, verba inserta legebantur: „Regi aequum fuis„se visum, ut documenta in illum favoris sui talia ederet, qui„bus & posteri eius aliquando frui queant, dum illum tanto „magis supra vulgus extollere niteretur, quo maiori virtute „ipse artis suae peritos superasset. Fatis cessit anno MDCCXXXVI, celebrisque *Salvator* MORAND integram vitae eius descriptionem edidit, in qua eius merita digno cum encomio recensentur. Ex hoc vitae eius monumento apparet, quod Rex quoque Ludovicus XV. felicissime nunc imperium tenens, gratia sua prorsus singulari ac intimiori fide *Georgium Mareschallum* dignum iudicaverit, Ordinisque Sti Michaelis anno MDCCXXIII. participem fecerit. Non vero unicum hoc signum dici meretur, quo probari possit, Potentissimum Regem Galliae, magnam illam à maioribus acceptam animam, ac mentis generosissimae virtutem, iure hereditatis sibi vindicare, dum nullam occasionem negligit, qua illorum ardorem augere valeat, qui, solida rerum cognitione, facultate pollent, miseris & afflictis suis subditis salutarem aliquam operam praestandi. Notabile huius asserti adducam exemplum. In tertia parte Operum Academiae Regiae Chirurgicae, ibidemque in vita demortui *Nic. Puzos*, celebris Chirurgi, olim Directoris Academiae chirurgicae, Censoris regii librorum, atque Demonstratoris in arte obstetricia, me legisse memini, cum a Rege nobilitatus esset, Diplomati haec inserta esse verba: „Regem „ex ea ratione, quod ars, cui augendae Nic. Puzos ingenium „suum mutuaverit, societati civili adeo salutaris ac ponderosa „esset, rem censuisse cura sua haud indignam, quin operam

„illius titulo aliquo honoris remuneraretur, ad ſtimulum ad-„dendum omnibus iis, qui veſtigia ipſius premere audeant.„ Unde provida, quae mentem huius Monarchae, cura alit, felicitatis ſuae gentis, ac praecipue ſuorum civium, quorum augeſcere numerum vult, in aprico eſt; nam in arte obſtetricandi praecipue *Puzos*, & ingenio & arte multum valuit. Indubiae enim veritatis aſſertum eſt, quod exploratae artis obſtetricatores reipublicae multum prodeſſe queant, cum illorum opera ac arte, in magnis urbibus, quotannis aliquoties centum tam infantes, quam parturientes ſerventur, idque tanto maiori cum fructu, quo ipſi non ſolum manus operi admovent, ſed & praeceptis ſalutiferis, artisque exercitio alios inſtruunt, adeoque & poſteritatis rationem habent. Aeque res hic ſe habet, ac generatim de omni illo ſcientiarum genere ſtatuendum eſt, quod in conſervationem & augmentum generis humani tendit. Levamen & auxilium iſtae artes afferunt miſero & morboſo, quo mortales ſaepe excruciantur, ſtatui, maioremque utilitatem praeſtant Medici reipublicae, in conſervandis & augendis ſubditis, quam ii, qui eiusmodi artes colunt, quae in generis humani exitium & detrimentum excogitatae ſunt. Quilibet enim humani generis amicus, & de ſalute eius ſollicitus, memoriam inventoris boni & certi remedii, in ſalutem humani generis detecti, vel inſtrumenti chirurgici utiliſſimi & proficui, ſemper ſingulari pietatis & gratitudinis cultu proſequetur, eamque beatam & ſanctam eſſe volet ſenſus & adfectio, qualem nulla contemplatio tormentorum bellicorum, e. g. Schuwalowiorum, Coehornianorum, aliarumque ad necandum perdendumque genus humanum inventarum & effictarum machinarum, unquam in eodem excitare poteſt. Si vero praemia & honores artibus & inventis ſtatuenda ſunt, ſane iis potius debentur, qui in ſalutem & augmentum, quam qui in exitium & interitum generis humani animum & ſtudia

ſua

ſua impendunt, ac artes deleterias, pernicioſiores, novis inventis, reddere conantur.

Cum hac occaſione merita Facultatis medicae, ſecundum verum eorum pretium diiudicare, & ſecundum eorum influxum in felicitatem humani generis & Statuum comparare velimus, Medicus, qui artis & eruditionis virtute valet, utique tali honore dignus cenſetur, quo a turba hominum communi, diſtinguitur. Nam non ſolum dexteritate & ſcientia ſua ſingulorum membrorum, de republica optime meritorum, perſaepe morbos tollere, ac tales viros reipublicae reſtituere, illique eos velut de novo donare poteſt, ſed & honor illi tanto magis debetur, quo acutiori mentis indagine, ſedulitate maiori, atque experientia praeditus eſt, quae conatus ſuos iuvare, & utiles reddere poſſit, in ſanandis illis morborum generibus, quibus plurima pars, vel recens natorum, vel iuvenum, in florentiſſima adhuc aetate conſtitutorum, ſecundum notas mortalitatis leges concidit, dum arte ſua numerum annuum inſignem morti adeo eripere valet. Eximia illa utilitas, quam Medicina praeſtat, Imperantium oculos tanto impenſius ferire deberet, quanto ſolidiori artis cognitione Medicus inſtructus, non tantum remediis ſalutaribus a morbo graſſante, provinciis & civitatibus afflictis, medelam afferre; ſed & ſagaciori conſilio, ac bene diſpoſito rerum tractandarum ordine, eventus periculoſos omnes avertere ac prohibere novit, quo minus malum contagione propagetur. Tali enim arte ac opera multa millia manuum laborioſorum opificum, alioquin periturorum, in emolumentum reipublicae ſervantur. Quantopere, quaeſo, magnorum Principum ſplendor & potentia, quae non ſolum copiarum numero, ſed praecipue militum validorum & bene exercitatorum turba, nititur, morbis epidemicis decreſceret ac minueretur, niſi Medici, experientia & ingenio, notitiam diverſitatis morborum, alioquin contagioſorum, ſibi acquiſiviſſent, dum hi remedia tam medica, quam politica invenerunt,

nerunt, quibus non ſolum eos arcere, ſed &, morbis irruentibus iamiam ac ſaevientibus, ab illis infectos ſanare, & ulteriorem mali ſaevientis progreſſum compeſcere vel ſuffocare didicerunt.

Quodſi Scriptorum hiſtoriae antiquioris heroicae opera evolvimus, fide digniſſimi ſaepe numero contigiſſe referunt, ut & maximi heroes in medio armorum feliciſſimorum curſu, morbis tunc temporis ſic dictis divinis, i. e. adhuc obſcuris atque ignotis, impediti, non tantum ab expeditionibus glorioſis deſiſtere coacti, ſed quoque interdum flore militum exercitatorum morbis deleto, adeo ad incitas redacti fuerint, ut a victis pacem petere cogerentur. Artis vero explicata magis cognitione, noſtris temporibus militum ſanitas provide conſervatur, & morborum, olim in caſtris epidemicorum, cauſſae & origines omni cura arcentur *). Verum revocat me propoſiti ratio, a quo parumper digreſſus ſum, quo artis ignaris contemtoribus, & dignitatum, a magnis Principibus, Medicis impertitarum invidis, merita ſcientiae ſalutaris paululum apertius explanem.

§. XIV.

Licet *Ordo Sti Ludovici* militarium Ordinum in numero proprie computetur, tamen, quod & huius Ordinis membrum inter Medicos exſtiterit, legimus. Conſtat, Ordinis Sti Ludovici, anno MDCXCIII. inſtituti, autorem fuiſſe Ludovicum XIV. Ordinem invenerat rex, quo praefectos exercituum, qui pugnis atque obſidionibus nomen ſuum clarum reddiderant, gratiae ſuae ſigno quodam donaret; illo modo animi fortitudo, virtus, & officiorum militarium merita eminentiora, unicam dabant cauſam, qua quis hoc Ordine dignus cenſeretur. Adoptatur etiam in illum nemo, niſi religioni catholicae addictus,

*) conf. G. G. L. (Godofr. Guil. de LEIBNIZ) *Relatio de novo antidyſenterico Americano* &c. Ephem. Acad. Cæſ. N. C. Dec. III. a. III. 1696. Append. n. I. inſerta p 5. Hanov. & Guelferb. a. eodem. 8v. ſigillatim recuſa p. 7. TREW.

ctus, vel rei militaris praefectus, sive terra, sive mari decennali isto munere functus sit. Solennia, quae fiunt tempore receptionis, HELYOTUS tradidit *r*). Ordo crucem habet auream, albedine encaustam, octangularem, sparsis & in quatuor angulis haerentibus liliis; in medio circulus, cuius ad unum latus, in scuto rubro, tenui margine coeruleo circumducto, imago Sti Ludovici apparet, regio pallio ac cataphracta ornata; dextra manu laureolam, sinistra vero coronam e spinis contextam, clavosque passionis tenens. Circumscripta imagini verba, litteris aureis notata, sequentia leguntur: *Ludovicus Magnus instituit MDCXCIII.* Altero in latere circuli, ensis denudatus flammeus cernitur, cuius in apice sertum laurearum, ligamento candido adstrictum, litterisque circumductis verba leguntur: *Bellicae virtutis praemium.* Cum Ordinis membra, excepto Magistro Ordinis generali, ipso nimirum rege, octo Equites crucigeros, maiores viginti quatuor praefectos, seu Commendatores, cum indefinito Equitum numero, complectantur, ornatus singulorum ita distinguitur, ut Equites maiores crucem praedictam cum ligamento ruberrimi coloris, quatuor digitorum latitudinis, ad modum fasciae militaris, ab humero dextro ad laevum usque femur demissam, gerant. Distinguuntur etiam stella quadam acu picta, tunicae pallioque affixa, cuius nulla, neque ab HELYOTO, neque ab aliis Ordinum equestrium Scriptoribus, exacta descriptio iniicitur; suspicor ideo, eandem hanc esse stellam, quam describendo Ordinem Sti Michaelis, e libro RAMMELSBERGII attuli, quod tamen cum limitatione scuti cum Archangelo, illuc non pertinentis, statuendum esse duco. Praefecti solummodo ligamen rubrum cum cruce demissa, sine stella, in tunica, ad fasciae militaris modum, gestant. Equitibus crucem nonnisi in pectore, a tenui ligamento ruberrimi coloris pendentem, secum ferre licet, ligamentum seu taeniam nonnulli in formam laxioris nodi seu

 cocar-

r) Tom. VIII. p. 502. Mercure historique de l'an 1693. pag. 430. p. 540. 657.

cocardae colligunt. Magno huius Ordinis auctori non obiici potest, quod olim a BUSSIERO s) regi Ludovico XI. instituti Ordinis Sti Michaelis causa, exprobratum fuit. Quoniam enim Ordo Sti Michaelis nullos fructus vel reditus largitur, ait: Regem, quia Ordini plurimus honor adiunctus sit, potuisse parare socios, & conservare, dareque facinoribus maximis praemia, eaque omnia levi impensa. Ordo enim Sti Ludovici statim ab initio magno proventu dotatus fuit, e quo Archicancellario 6000, octo praefectorum cuivis 4000, reliquis sedecim praefectis unicuique 3000, viginti quatuor equitibus prioribus, & quidem singulis 2000, viginti quatuor aliis 1800; adhuc quadraginta equitibus aliis iisdemque singulis, 1000, triginta duobus equitibus, cuivis nimirum 800 librae solvuntur. Tempore recentiori numerus praefectorum usque ad triginta quatuor, & equitum maioris crucis ad undecim usque crevit; praesenti vero tempore Rex gratiosissimus, ad excitandos milites, post expeditionem bellicam factam anno MDCCXXXV. e qualibet legione par militum, quorum virtus in bello prae aliis valuit, signo Ordinis donavit. Rex Ludovicus XIV. qui ad promovendas artes multum pecuniae insumsit, non tantum celeberrimum *Iosephum Pitton de* TOURNEFORT, Doctorem Medicae Facultatis Parisinae, titulo Consiliarii regii insignivit, verum & iste Membris Academiae Regiae Scientiarum adscriptus, Professor Botanicae artis in horto regio, nec non Lector atque Professor in Collegio regio fuit. Plura de illius vitae curriculo hic frustra adducuntur, cum Medicis aeque, ac singulis viris doctis, nomen eius non obscurum sit. Quod vero beneficio Ordinis Sti Ludovici a rege mactatus sit, e figura aenea, a quodam E. Desrochers Lutetiae Parisiorum excusa, liquet, Iconophylacio meo medico inserta, in quo TOURNEFORT amictu orientali, seu potius more Turcarum vestitus, magna cum barba

s) BUSSIER Histor. Franc. L. XIII. p. 24.

barba & tunica talari, pontico vellere subdititio duplicata, superindutus, signoque Ordinis pectori impendente, apparet. Subter effigiem eius titulus, & subinde verba sequentia incisa leguntur: *Louis XIV. le fit Chevalier de St. Louis, en consideration de ses grands voyages; il revint dans cet habillement*, i. e. *Ludovicus XIV. hunc ob lata itinerum spatia, quae emensus est, Equitem Sti Ludovici creavit; ex illis redux, hoc vestitu indutus iterum apparuit.* Ex quo facile colligitur, illum iam ante ultimum versus Orientem susceptum iter, vel illo durante, ad hanc dignitatem pervenisse. TOURNEFORTIUS e gente, quod constat, antiqua ac vere nobili ortus fuit; variis suis periculosis lateque diffusis itineribus, quibus montes Pyraeneos Alpesque transcenderat, porro peregrinationibus, quibus in Hispaniam, Lusitaniam, Britanniam, ac Batavorum rempublicam contenderat, maxime vero itineribus in Graeciam, Asiam ac Africam ab ipso consignatis, magna quaevis expertus fuit, variisque sese periculis obiecit, quorum molestiam multi, per decennale tempus militiae adscripti, ignorant. Interim tacere nequeo, me nihil plane, neque in vita eius, quam celeberrimus FONTENELLE tradidit, neque in Annalibus NICERONIS, nec denique in monumentis historiae litterariae a LAMBERTO editis, offendisse, quo constare possit, quod TOURNEFORT Ordinis Sti Ludovici membrum exstiterit. Celeberrimum quidem rerum naturalium scrutatorem ac Physicum, *Antonium Ferchaud de* REAUMUR, Ordinis Sti Ludovici Praefectum fuisse, constat; verum tamen non ignota res est, quod idem Medicae Facultati non adscriptus fuerit.

§. XV.

Ordines Beatae Mariae virginis a Monte Carmel, atque *Ordo Sti Lazari* Hierosolymitani, in Gallia, ab anno MDCVIII. coadunati fuere; uterque vero habet Ordinis Magistrum generalem: quippe quod munus illustre coronae sive principatui neu-

tiquam

tiquam adhaeret, ad exemplum eiusdem dignitatis munerisque honorifici, quod Rex ipse, respectu Ordinis Sti Spiritus, Sti Ludovici ac Sti Michaelis, tuetur. Nam reges Galliae magisterium generale ab Equitibus Montis Carmel & Sti Lazari, saepius sibi oblatum, recusarunt. Nostris vero temporibus Rex clementissimus, Ludovicus XV. imperium felicissime tenens, Nepotem suum, Serenissimum Ducem Bituricensem, Magistrum Ordinis supremum designavit. Accensentur illi Ordines militaribus & hospitalibus, praecipue vero *Ordo Sti Lazari* inter antiquissimos huius generis Ordines terrae sanctae numeratur, qui non tantum arma contra infideles, sed & curam aegrotorum atque leprosorum praecipue gessit, de qua re videndus est HELYOTUS *t*), externum illorum cultum cum signis Ordinum tradens, immo probatur ab illo autore, Ordinis Statutum certum olim fuisse, quo iubente non tantum leprosi in illum Ordinem adoptarentur, sed Ordinis Magistri generalis dignitas in Equitem leprosum caderet. Huius legis ratio haec esse videtur, ut tanto maior zelus industriaque, in suscipiendis, alendis atque curandis leprosis, in tali Ordinis Praefecto excitaretur, cum antiquioribus temporibus lepra in terrae sanctae aeque ac Europae partibus, solitus morbus erat, qui sanctos viatores praecipue infestabat, exercitium urgebat, ac in sanctis migrationibus late saeviebat. Ex his Statutis seculi genius, desiderium flagrans, providaque cura illorum elucet, qui primi huius Ordinis conditores & Evergetae exstiterunt, dum cupiebant, ut cura aegrotorum, & praecipue illorum, quos Elephantiasis, tunc temporis solito frequentior, occuparet, Fratrum Equitumque praecipua cura esset, cavebantque, ne larga Xenodochiorum munera, & proventus inde redundantes, alium in finem atque utilitatem dispenderentur. Verum, pia licet haec & cauta instituti ratio priorum Equitum fuerit, quin illa postea

t) HELYOT Tom. I. Cap. XXXII. LIV. ASHMOLE l. cit. in Praefat.

poſtea negligeretur, averti tamen haud potuit. Mos iſte eligendi Ordinis Magiſtros generales leproſos, ſolummodo ad annum usque MCCLIII. ſervatus fuit. Quoniam enim Equites, hoc temporis articulo, Syriacam terram mittere cogebantur, & leproſorum tota, quantacunque in Xenodochiis tenebatur turba, ab infidelibus necata fuiſſet, Papa Innocentius II. Ordinem ab hoc onere liberabat. Poſſidebat Ordo in Gallia inſignem Xenodochiorum & Noſocomiorum numerum, quibus piis corporibus ſingulis, pia quoque & larga ſtipendia pro dote adhaerebant; mutabantur vero poſtmodo, Pontificum & Regum conſenſu, maximam partem in Prioratus ſive in Praeturas atque Praefecturas ſive Commendas, opimis reditibus ornatas. Quo tempore Papa Innocentius VIII. anno circiter MCCCCXC. plurimam partem bonorum equeſtrium Ordinis Sti Lazari Ordinisque Melitenſis in plerisque terris coniungebat, Reges Galliae patrocinium huius Ordinis, pro tuendis iuribus, conſervandisque fructibus e dote corporis naſcentibus, in ſe ſuſceperunt, eique Ordini ſuum conſtituebant Magiſtrum generalem, & licet inde a Seculo XV. Leprae morbus fere nullus ſentiretur, quippe cuius loco lues venerea ingruebat, pio tamen Regum Galliae inſtituto mandatum fuit, ut, ſi forte leproſi homines exſiſterent, ſumtibus Ordinis illi in Xenodochiis alerentur. Poſteaquam hi ambo Ordines, Beatae Mariae Virginis de Monte Carmel, atque Ordo Sti Lazari, anno MDCVIII. in unum Ordinem redigebantur, ſimul ſtatutum fuit, ut Equites ſeculares horum Ordinum connubio ſe alligare poſſent, recipiendique non niſi trium generationum paternarum ac maternarum, vel, quod aliis placet, quatuor ab utroque latere nobilitatis teſtimonia edere deberent. Poſſunt & Equites ſic dicti gratiae, indultu Ordinis magiſtri generalis, adſciſci, quibus nobilitatem generis ſui probare non eſt neceſſe; aegre tamen huic modo Equites nominandi, recentioribus temporibus indulgetur. Adſcribuntur quoque huic Ordini Capellani, ſive

Perſonae eccleſiaſticae, ac Fratres cultui religioſo operam navantes. In Gallia pro tempore Equites ſeculares crucem auream octangularem, in uno latere amarantino colore tinctam, gerunt, cuius media in parte effigies Sanctae Virginis encauſta cernitur; inverſo in latere crux viridi colore adſperſa, effigiem Sti Lazari media parte complectitur. Singulis extremitatibus globulus aureus innititur, & anguli loco cuilibet intermedio lilium aureum inſeritur. Crux pendet a ligamento amarantini coloris; fratres vero miniſterio ſacro vacantes, loco crucis, monetam prae ſe ferunt iisdem coloribus imaginibusque ornatam, quae a catena aurea, ſine ligamento demittitur. Equitibus Sti Lazari in Sabaudia, crux viridis pro ornamento eſt, in quo Ducatu Sti Mauritii ac Sti Lazari Ordo in unum conflatus eſt; ipſe vero Dux Sabaudiae illiusque ſucceſſores, mandato ac indultu Pontificis Gregorii XIII. Ordinis Magiſtri generales per Italiam atque Hiſpaniam audiunt. De primo inſtituto Ordinis Sti Lazari quaedam §. IV. ſubieci, certusque redditus ſum, quod Dux Aurelianenſis regens, liberatis peſtis periculo urbibus Maſſilia, Telone Martio, aliisque locis Galliae auſtralis, ubi quondam peſtis ſaeviverat, nonnullos Medicorum Ordinis ſigno, tanquam munere benefico, donari iuſſerit; ſed fatear neceſſe eſt, nomina talium, qui hoc ornamento inter Medicos enituerunt, ad hoc usque tempus me plane fugere. Quod enim ad celebrem illum in orbo erudito virum, multaque fama haud obſcurum, *Carolum Mariam de la* CONDAMINE, attinet, qui ſe Equitem Ordinis militaris Sti Lazari profitetur, & regiae Societatis Pariſinae, cui iam anno MDCCXXX, cum annuo ſtipendio, in uſum Chymiae adſcriptus fuit, ſimul quoque Academiarum Londinenſis, Berolinenſis, Petropolitanae, Bononienſis, Cortoneae, ac Nanceienſis membrum eſt, ſummis quidem in arte ſalutari meritis fulget, dum praecipue variolarum inſitionem variis Commentationibus aliisque ſcriptis defenſum & propagatum ivit; adeo ut ordini Medicorum nomen

men eius admodum honorificum videretur; sed an Medici Doctoris gradum sive titulum assumserit, minime contendere possum.

§. XVI.

Morbus contagiosus §. XIII. allegatus, qui anno MDCCXX. & MDCCXXI. Galliam dire terrebat, ansam praebuit instituendi novi Ordinis, vel potius distribuendi muneris in signum honoris, quod ad modum crucis equestris gerebatur. Hic *Ordo Sti Rochi* dicitur, quo Dux Aurelianensis illos donavit, qui pestis tempore, ingenua fidaque sua opera, singulari meritorum laude inclaruerunt. Praecipue Chirurgis tribuebatur, qui in urbibus a malo pestifero venenatis, sese includi passi erant, ac aegrotorum curam cum vitae suae praecipuo discrimine, susceperant. *Sanctus Rochus*, gallicae originis, Dynasta quondam in Montepessulano, aliisque in locis, tanquam Sanctus tutelaris contra pestem colitur, dum istud malum non ipse solummodo in Italia est perpessus, verum quoque purpuratorum numerum haud exiguum, aliosque ab eodem malo vexatos, signo crucis liberavit. Diem obiit supremum anno MCCCXXVII. carceri inclusus, in urbe quadam a Montepessulano haud procul dissita, quae dominio ipsius quondam subiecta, donationis vero titulo in aliquem e cognatis suis delata fuerat. Mira sua virtute post mortem, praecipue anno MCCCCXIV. Constantiae inclaruit. Cum enim Concilium in illo loco haberetur, ac pestis sese insinuaret, dire admodum saeviens, nullum supererat auxilium, nisi quod Sancti huius invocatione impetrabatur, dum in illius honorem solennis pompa fieret. Quod Venetiis anno MDLXXVI. una cum Virgine Deipara, Aloysio Mocenigo, Principe Veneto regnante, precibus suis interpositis, aequo modo malum pestiferum profligaverit, ex inscriptione u) patet in *Scuola di S. Rocco in Sestiero di S. Paolo* adornata.

u) KEYSSLERS *Neueste Reisen*, T. II. p. 815. 817. 818.

nata. Haec Schola Sti Rochi cum Schola Sti Marci eodem in loco, una e praecipuis eſt, quae egregiis ac ſplendidis pictu-ris a Tintoretto, Antonio Zanchi, Pietro Negri, aliisque arti-ſtis praeclaris, effictis, nitent. Scholae iſtae ſunt aediculae, ac aedificiorum genera, certis fratrum congregationibus atque ſo-cietatibus opificum dicatae, ſacro illorum cultui, coetibusque, negotiorum aliorum cauſa illuc convocandis, deſtinatae. Pe-ſtis illo tempore furens, CCCC. circiter e fratrum Societate Sti Rochi perdidit, cuius rei veritatem inſcriptio adducta teſta-tur. Prope ſcholam aedes exſtructa, huic Sancto conſecrata, cernitur, non tantum ſplendidis iconibus, ſed & operibus cae-latis marmoreis fulgens. Sanctum Rochum hoc in templo ſe-pultum iacere, traditur. Memoria Sancti Rochi, die XVI. menſis Auguſti, ſolenni inſtituto, ab eccleſia celebratur. Uti Archangelus Michael totius regni Galliae patronus audit, ſic San-ctus Rochus regiam Domum & Galliae reginam tuetur, & ſu-perba eccleſia parochialis Lutetiae Pariſiorum nomen eius ge-rit. Licet illius oſſa Venetiis ſerventur, pars tamen aliqua cor-poris ipſius in Gallia forte remanſit. Litterae enim publicae indicabant, quod menſe Februario huius anni, reliquiae quae-dam huius Sancti, deſiderante id regina, ab Archiepiſcopo Are-latenſi, Lutetiam miſſae ſint, celebrique cum pompa, e ſacra ſede parochiali Beatae Mariae Virginis in Sacellum (*du grand Commun*) magni Conventus, delatae, ſolennique munere cum cantico in laudem Dei celebrato, introductae fuerint. Expo-ſitis deinde in cultum omnium fidelium reliquiis, poſtero die Reginam, & Iuventutis regiae Principem cum coniuge ſua, rei divinae religioſoque cultui interfuiſſe referunt, multo ritu ſo-lenni a perſonis eccleſiaſticis & Regis Eleemoſynario, in exci-piendis illis antea obſervato. Vnde patet, quanto in pretio Sanctus iſte adhuc illo in loco habeatur, & cur nomine Sti Ro-chi Ordo inſignitus fuerit. Crux ordinis a coccineo ligamen-to demittitur, inſcriptaeque eidem uno in latere leguntur lit-

terae:

terae: *Ludovicus XV. inſtituit;* in altero vero verba: *Propter fugatam peſtem Maſſilienſem;* qui vero crucem gerebant, Equites Sti Rochi dicebantur. Facile coniicitur, crucem rubram encauſtam fuiſſe, quoniam e vitis Sanctorum conſtat, quod Sanctus Rochus cruce rubra notatus in lucem editus ſit, debitoque naturae ſoluto, Sanctus ille eodem ſigno dignoſci potuerit. Haec ſunt, quae de Ordine adducto, eiusque cruce cognoſcere mihi licuit. Quantus vero Equitum numerus tunc temporis ſigno crucis honoratus fuerit, aeque me latet, ac illa veritas, num tempore quoque ſequenti ſignorum Ordinis diſtributio nonnulla facta ſit. Hiſtoriam huius Ordinis, e vita celebris ocularii, *Iacobi* DAVIEL *x*) depromptam teneo, qui una cum aliis Chirurgiae practicis, annuum honorarium, veniamque geſtandae crucis Ordinis, impetravit; quippe qui unus e praecipuis inter Chirurgos fuit, quorum fida opera, Maſſiliae peſtifero morbo laborantibus, CHICONOVIO, ante dicto *Antonio* DEIDIERO, ac Medico VERGUE totum opus dirigentibus, utilis fuit. De *Iacobo* DAVIEL, Membro Academiae chirurgicae Pariſienſis, Societatis Londinenſis, Holmienſis atque Divionenſis, annoque MDCCLXII. die XXX. Sept. demortuo, conſtat, quod nova quadam methodo, cataractam per extractionem tollendi, innotuerit; cuius memoria, gratitudinis monumento quodam a claro pictore Divionenſi, de Voge, cui medelam in hoc malo feliciſſimo eventu tulerat, praeſtito, poſteris ſervata fuit *y*). Exſtat illud in diagraphica & ingenioſa delineatione operis allegorici, quae ob gratitudinis notam, animique candorem ingenuum, auctoris in honorem utique cedit.

x) Eloge, ou Abregé hiſtorique de la vie de Mr. DAVIEL, par Mr. APPLES, in Actis Helveticis Vol. V. p. 174.

y) *Bibliotheck der ſchönen Wiſſenſchaften VI. Band,* p. 380. 381.

§. XVII.

Ordo Periſcelidis e numero Ordinum rariorum antiquiorumque adducitur, cuius ſplendor ab ortus ſui principio ad hoc usque tempus viguit. Quantum enim mihi ex hiſtoriarum monumentis innotuit, nullus unquam fuit Ordo, cuius Equitum numerus ſemel ſancitus, ac dignitas, tanta cum religione ſervata fuerit, quanta huic Ordini ſervando contigit, cuius honoris ſigno, omni tempore, magni ſolummodo Reges ac Principes extranei, civium vero e gente, primae nobilitatis equites, potiti ſunt, tenore Statutorum, ipſisque ibidem adductis verbis ſic ſonantibus: *Nemo deligetur in Ordinem, niſi qui nomine, armis & ſanguine generoſus, & Eques irreprehenſus exiſtat. Generoſus autem armis & ſanguine is intelligitur, qui, praeter patrem ac matrem, avos & proavos quoque ſanguinis generoſi habuerit.* Cuius Legis tenori nullo quoque non tempore ſtrictum obſequium praeſtitum fuit. In Anglia enim peculiare Collegium feciale ſeu heraldicum inſtitutum eſſe novimus, a quo nomina familiarum, ordine genealogico diſpoſita, notantur. Fabuloſae de Ordinis Periſcelidis principio narrationes, a diverſis Scriptoribus proditae, haud quidem ignorantur; verum & iſtas non parvum Anglicorum Scriptorum numerum refelliſſe, conſtat. E victae tamen veritatis aſſertum omni tempore manebit, Ordinem hunc a magno illo Rege Eduardo III. qui Galliam Scotiamque ſuae poteſtati ſubiecit, ac Iohannem Galliae, & Davidem Scotiae regem, captivos in Angliam duxit, anno MCCCL. inſtitutum fuiſſe. Numerus equitum a Rege definitus, ad viginti ſex equites usque creandos, extenſus fuit, ipſo Rege, tanquam Ordinis Magiſtro generali, ſimul computato. Conſueto Ordinis ſigno, faſcia nimirum crurali coerulea, ſiniſtro pedi quotidie adſtringenda, Equites ex praecepto legis utuntur, cui, feſtivo ſolennique tempore, ſymbolum aureis litteris, acu picto opere, gemmisque pretioſis exornatum, his verbis

bis additur: *Honny soit, qui mal y pense.* Subligaculum istud fibula aurea clauditur. Praeterea ligamentum latum coeruleum, laevae humerorum parti superinductum, in equite nitet, cuius ab infima parte signum Ordinis Sti Georgii pendet, effigiem eius illum in modum sistens, quali vermem nociferum (Draconem puto) trucidasse, fingitur. Imago Sancti Georgii encausto opere elaborata, auro ac gemmis distincta cernitur. In sinistra pectoris parte stella argentea, acu texta, fulget, in medio habens crucem, periscelide tanquam circulo circumdatam, praedictoque symbolo inscripto ornatam. Quandocunque Ordinis solennia, vel dies festivi maiores celebrantur, laxiori veste superinduti, & alte demissa toga incedunt equites, mitram in capite eminentiorem sericam, ac atro colore notatam, gerentes; signum Ordinis pendet a catena equestri ex rosis rubei & albi coloris, encausto opere pictis, contexta, quae laminis aureis, in subligarium formam fictis, coniunctae sunt. In signo Ordinis circumscriptum ante enarratum symbolum legitur. Ex iis, quae ab ASHMOLE, *Vito* MIEGE, aliisque notata sunt, patet, quod a tempore instituti Ordinis octo Imperatores, Regum numerus ultra trigesimum, multi Electorum ac Principum extraneorum, membris huius Ordinis accensi fuerint.

His de summa Ordinis dignitate praemissis, mirum quemcunque facile tenebit, quae causa ansam dederit commemorationi Ordinis hic adducti, siquidem in re litteraria Anglorum non rite versatis, res videbitur omni fide indigna, quod Viri originis adeo splendidae dignitatisque eminentioris, in numero Medicorum esse queant. Verum in Anglia longe diversa litterarum ac artium ratio obtinet. Multi enim inter viros illustres vero sibi ornamento non tantum esse putant, quando ipsi bonas artes callent, easdem promovere, ac viros vere eruditos pretio suo aestimare norunt, suoque favore dignantur; sed & honori sibi ducunt, academicis honorum titulis insigniri, quos, qui

qui in Anglia in litteras vere incumbunt, non aeque facile, ac in Germania aliisque in terris fieri solet, consequuntur. Hinc res adeo miranda non est, quod in regionibus istis, ubi artes ac bonae litterae tanto in pretio sunt, magna ingenia nascantur. Mentis etenim generosa indole praeditos, ac vere doctos homines, ambitio quaedam honesta quasi excitat incenditque, ut magis elucere cupiant; hinc & in navanda scientiis opera earumque usu, quam late fieri potest, omni tempore progrediuntur, dummodo meritorum suorum, operaeque digna mercede ac praemiis vel honoris, vel fortunarum se ornari sentiant. Ex adverso viri eruditi, ingeniorum felicitate praediti, sortis suae contemtu, nulloque inter doctos ac indoctos discrimine notato, quando vel cum indignioribus atque indoctioribus, eruditionis famam male captantibus, non tantum aequo, sed quodammodo leviori pretio aestimantur, concidunt; solertiae & ingenii virtutes, ac naturae dona, ipsis tributa, morte quasi deleta censentur; dum irritam se impendisse operam vident, artium & scientiarum studium aegre prosequuntur, non nisi ingratam ac ignominiosam laboris sui mercedem exspectantes. Haud exiguum famae incrementum Collegio Medicorum Londinensium exinde nascitur, quando in Indice Sociorum anno MDCCXLVI. impresso, nomina Ducum *de Richmond* & *de Montague* reperiuntur, qui, salutari arte, multisque aliis scientiis probe imbuti, honores doctorales adepti sunt, & more aliorum Medicorum huic Collegio nomina sua dederunt. Verum ob dignitatis suae illustris splendorem, Praesidem tunc temporis inclytum Doctorem, *Henricum Plumptre*, ordine statim secuti sunt. Cum istud par Ducum magnam Collegio Medicorum famae celebritatem addiderit, insignemque suum favorem non minus quam cultum, quo medicam Facultatem prosequeretur, ostenderit, censura quadam me dignum fore arbitror, si illos huic Commentationi inserere dubitassem magis, quam isto conatu promerui, quo eorum nomina hic addu-

adducere placuit. *Carolus Lenox* Dux *de Richmond* & Lenox, Comes Marchiae & Darnlejae, Baro de Settrington & Metthuen, qui illaesam omni tempore fidem Regibus e ſtirpe Hannoverana oriundis ſervavit, e ſanguine regio Stuartorum, quod conſtat, prodiit. Pater illius, eiusdem nominis, Regis cubicularius, & Eques Ordinis Periſcelidis fuit, diemque obiit ſupremum anno MDCCXXIII. Idem filius erat Regis Angliae, Caroli II. Sereniſſimaeque Ducis de Portsmouth, quae, cum hoc titulo nondum potita eſſet, Virginis illuſtris de Querouailles efferebatur nomine. Superſtitem hunc filium ſuum, tunc temporis Marchiae Comitem dictum, ſed, poſt mortem patris Ducis, tituli paterni bonorumque opimos reditus largientium haeredem reliquit. Quibus fortunis praedictae aviae ſuae haereditas, Ducatus Albiniacenſis in Gallia, accrevit, ex quo per annum 80000. libras gallicas accipiebat, una cum 30000. aureis, numeratae pecuniae ſumma. Denique & poſt obitum Soceri ſui, Comitis Vilelmi Cadogani, Baronis ab Oackley, legatum 80000. librarum monetae Anglicae, huic opum farragini additum fuit. Virtute dignitatis ducalis, Duci noſtro *Richmondo*, votum cum ſede in ſuperiori regni Magnae Britanniae Curia competebat. Inſuper quoque membrum fuit in Senatu ſanctiorum Conſiliorum, Summus Stabuli regni Magiſter, Locum tenens generalis Satellitum Regis, corporisque cuſtodum equeſtrium Praefectus, Archiſeneſchallus in civitate Ciceſtria, atque Ordinum Periſcelidis & de Balneo Eques; priori Ordine anno MDCCXXVI. d. VI. Iunii inſignitus, & anno MDCCXXVIII. d. XVII. Iulii ſolenni more donatus fuit. Abſente quondam Rege Georgio II. titulo Procerum imperii regentium gaudens, partim ubi exercitum in Germaniam Rex duceret, partim illo tempore, quo Rex, provincias ſuas germanicas viſendi cauſa, in itinere conſtitutus eſſet, ſex diverſis temporum intervallis, imperio regni una functus fuit; titulum vero Doctoris Medicinae in Academia Cantabrigienſi acquiſivit eodem

tempore, quo Dux de Newcaſtle Cancellarii munere ac dignitate, eodem in loco more ſolenni ornabatur, multique adhuc Viri illuſtres gradum Doctorum Iuris conſequebantur. An forte arctum iſtud vinculum cognationis, quo Dux *Richmondus* magno illi ac celebri Baronetto *Ioanni Sloane*, Regis Archiatro, iunctus (de quo poſthaec plura nobis dicenda erunt) cauſa fuerit amoris atque cultus ſui, medicae Facultati exhibiti, argumentum a ſuſpicione non plane alienum eſſe videtur, quoniam Carolus Cadogan, Baro de Reading, frater atque unicus haeres maſculus Comitis Vilelmi Cadogan, Baronis ab Oackly, Soceri Ducis, Ioannis Sloane filiam matrimonio ſibi iunxerat, & filio ex hoc thoro nato nomen *Caroli Sloane Cadogan*, in honorem & memoriam Soceri, dederat. Huius facti veritas aſſertum noſtrum admodum probabile reddit.

Dux *Iohannes de Montague*, Marchio de Monthermer, Comes de Montague, Vice-Comes de Monthermer, Baro Montague de Brugton, Par Magnae Britanniae, ſanctioris Conſilii Membrum, Rei tormentariae ut & Veſtiarii Regis Praefectus generalis, Primae turmae Satellitum regiorum Praefectus, Ordinis Periſcelidis Eques, Magiſter generalis Ordinis de Balneo, & Membrum Societatis regiae Scientiarum, anno MDCXC. natus fuit. Erat iſte filius unicus Ducis Rudolphi de Montague, qui in Senatu ſanctioris Conſilii Membrum, & praeter dignitates ſupra recenſitas, Duci noſtro anno mortis ſuae MDCCXLIX. adhuc adhaerentes, vario munere illuſtri functus fuit. Itidem iſte quinquies iterata vice, Rege abſente, Procerum regni imperantium numero interfuit. Perſuaſum mihi fuit, illum in Academia Oxonienſi Doctoris Medicinae titulum adeptum fuiſſe; aſt annum, quo hoc contigit, comperire non potui. Quod Sociis Collegii medici Londinenſis nomen dederit, antea commemoravimus. Hic ultimus ſuae ſtirpis ſurculus exſtitit maſculini ſexus, & cum fato fungeretur, quinquies centies mille librarum anglicanarum pretio valuit maſſa bonorum

ipſius

ipsius immobilium; ad numeratam vero quod attinet pecuniam, gemmas & ornatum, ducentarum & quinquaginta millium librarum Anglicanarum pretium huic statuitur. Ex dictis igitur patet, animos generosos, nec genere, nec ordine, nec opibus, ab artium & scientiarum cultu & admiratione abalienari posse.

§. XVIII.

Quodsi forte aliquis contendat, Equites Ordinis Periscelidis, §. praecedenti adductos, medicae Facultati nullam honoris famam parere posse, quia non artis exercitio inclaruissent; de Ministris tamen quibusdam Ordinis, tanquam veris Medicis, honoris nascentis argumentum ab Ordine Medicorum peti posse, nemo negabit; quorum mentionem hoc loco iniicere, themati Dissertationis praesentis congruum institutum esse duxi. Praecipuis enim Ordinis ministris, tenore Statutorum, peculiare signum externum Ordinis ac honoris decernitur; seculares vero Ordinis ministri nulli designantur, nisi equestri ex Ordine, vel verae nobilitatis genere nati. Ordinis Praesul, Cancellarius, Secretarius sive Registrator, Ordinis Praeco, qui Rex principalis armorum Angliae vocatur, proprio nomine *Garter* dictus, & Ianitor, sub Ordinis ministrorum praecipuorum nomine & titulo fulgent. Episcopus Wintoniensis omni tempore Ordinis Praesul est. Cancellarius Ordinis, statuente Eduardo III. Britannorum Rege, Episcopus Salisburiae nominatus fuit, cui perpetuum istud munus esse debebat. Verum a principio Ordinis instituti, solummodo sex Episcopis, serie haud interrupta sibi succedentibus, haec dignitas tributa fuit, quo temporis intervallo praeterlapso, diversae aliae personae seculares, nulla amplius Episcoporum Salisburiensium habita ratione, honore isto ac dignitate mactabantur, ad imperium usque Regis Caroli II. qui dignitatem illam denuo in Episcopos Salisburiae contulit. Registrator sive Secretarius Ordinis, simul quoque Cano-

nicus, vel Decanus Vindeforienfis audit; Praeconem five Garterum Rex defignat, qui fingulari quodam ritu folenni huic muneri praeficitur *z*). Nobilitate minori hic pari modo, ac Ianitor, confpicuus effe debet, utpote qui fimul fummae Curiae Ianitor eft, & atrae virgae infignia gerit, praefentique tempore aeque ac praeco, utplurimum equeftri dignitate, cum fingulari honoris titulo, *Sir*, pollet. Quod ad externa honorum figna miniftrorum Ordinis attinet, quibus illo tempore nitent, quando dies fefti five Solennia Ordinis celebrantur, Praefes Ordinis atque Cancellarius, coeruleo pallio ex ferico attalico, cum bombycino albo duplicato, induuntur, cuius dextrum in pectore latus crucem Ordinis, fafcia crurali cinctam, oftendit. Cancellarius Ordinis infuper adhuc monetam auream, fafcia crurali cinctam, a collo pendentem gerit, cuius in parte media rofa cernitur. Secretarius, Praeco & Ianitor, unusquisque horum, eiusdem generis pallio tegitur, ac Praefes & Cancellarius, illo nimirum cum difcrimine, quod in latere laevo pectoris fcutum Ordinis absque Perifcelide habeatur. Praeconis in pectore moneta aurea, fafcia crurali involuta, collo pendens fulget, cuius monetae fcutum divifum Infignia Ordinis & Regni Britannici impreffa gerit, quae aurea corona regia in fuperiori parte teguntur. Feftis diebus Ordinis, & quando Solennia fiunt, argenteum auroque obductum baculum manu tenet, cuius in extremitate fuperiori & inferiori, Ordinis ac regni infignia nitent.

Medicis illis, qui Praefulum Ordinis munere functi funt, praecipue *Iohannes* WATSON, feliciffimus Medicinae Practicus, annumeratur, qui per XX. annos ftudio medico vacans, anno MDLXXV. menfe Iulii gradum Doctoris in Academia Oxonienfi acquifivit *a*), cum iam antea anno MDXLII. artium Magifter crea-

z) MIEGE *Geift- und weltlicher Staat von Groß-Britannien und Irrland, p. 264. Leipzig 1718. 4to.*

a) Vid. IOECHERI Lexicon eruditorum. MATTHIAE Confpectus Hiftoriae

creatus esset. Sacris dein Ordinibus initiatus, varia quoque beneficia, quae iisdem adhaerebant, obtinuit; donec Elisabetha Regina *b*) illi curam ecclesiae Wintoniensis cum dignitate episcopali demandaret, ad quod munus obeundum mense Septembri MDLXXX. consecrationis ritu solenni inductus fuit. E marmore sepulcrali constat, illum iam antea Praebendae alumnum, deinde vero & Decanum huius ecclesiae fuisse. Eodem in marmore pater prudentissimus, vir optimus, praecipue erga inopes misericors, vocatur. Obiit MDLXXXIII. anno aetatis LXIII. & episcopatus quarto. Praesulum Ordinis in numero vigesimus quartus, Episcoporum Wintoniensium vero sexagesimus tertius fuit. Quodsi Episcopi Salisburienses, tenore Statutorum Regis Eduardi III. Cancellariatus dignitate perpetua investiti, tales mansissent, *Iohannes* COLDWEL horum quoque numero adscribendus foret. Educatus erat in Collegio S. Iohannis Cantabrigiensi; eadem Academia gradum Doctoris illi tribuit; tempore vero Elisabethae Reginae e Roffensi vel Rochestriensi Decano, anno MDXCI. Episcopus Salisburiensis factus est. GODWINUS *c*) asserit, primum hunc fuisse omnium Episcoporum Salisburiensium, qui uxorem duxit. In catalogo Secretariorum sive Registratorum huius Ordinis, Coldwellus quidam, Canonicus Vindesoriensis mihi occurrit; verum, dum anni ibi nulla exstat memoria, & de praedicto *Iohanne* COLDWELL mihi non innotuit, quod olim Canonicus Vindesoriensis fuerit; exploratae veritatis tanquam assertum defende-

storiae Medicorum chronologicus p. 375. Tradita ab utroque, sine dubio ex A. Wood Athenis Oxoniensibus petita sunt; hactenus in mea vero potestate non fuit, Scriptum tale, nostris in oris admodum rarum, omni licet adhibita opera, investigandi.

b) GODWYNI de Praesulibus Angliae Commentarius. Londini 1616. 4to p. 301.

c) l. c. p. 411.

re nequeo, quod & ille huc referendus ſit. *Eliam* ASHMOLE *d*), autorem hiſtoriae Ordinis Periſcelidis non ignotae, ob eruditionem in arte chymica acquiſitam, Doctorem Medicinae Oxonienſem creatum fuiſſe, ex illius vitae deſcriptione patet. Cum ante allegatam hiſtoriam Ordinis ſcripſit, titulo Præconis inſignitus: a nonnullis Scriptoribus, alias fide dignis *e*), Praeconis nomine Periſcelidum Ordinis aſſeritur. Verum, quamvis haec dignitas illi tanquam peritiſſimo repetita vice oblata fuerit, tamen illam recuſavit, & quidem primo loco eandem ſocero ſuo, Sir Wilhelm Dugdale, reliquit, ſecunda vero vice affinem ſuum commendatitiis litteris eodem honoris titulo donari, rogavit. Liber eius ante recenſitus magnam illi famam peperit, & Rex Daniae, Chriſtianus, ut & Magnus Elector Brandenburgicus, Fridericus Wilhelmus, in ſignum favoris ſui aureas ipſi catenas dono dederunt, cum nummis memorialibus aureis, huic ornamento appenſis; quale genus ornamenti, tunc temporis ſignum honoris & gratiae prorſus ſingularis magnorum Principum cenſebatur in iis, qui illo notati incedebant. Rex quoque Carolus II. libertatem illi dedit, certis diebus feſtis eodem ornamento palam utendi. Fuit vero ASHMOLE, proprio ſi illum titulo efferre velim, Praeco Vindeſorienſis; & quisquis de hoc munere, ut & in genere de dignitate Collegii Heraldici in Anglia, cognitionem aliquam haurire cupit, is in ſcripto allegato *Viti* MIEGII *f*) quod quaerit, inveniet; in quo & de eminentiori dignitate ac praerogativis, ipſisque rituum ſolennibus, quae Heraldorum Periſcelidis creationem comitantur, varia traduntur. Verum, licet ASHMOLE huc non referendus ſit, in libro tamen ante adducto eruditi Doctoris MATTHIAE, *Henricus St. Georgius*, Eques, Principalis Rex armorum, vel Heraldus Ordinis Periſcelidis, mihi notatus occurrit,

d) *Brittiſche Biographie IV. Theil. p. 735. ſeqq.*

e) e. g. HELYOT l. c. Tom. VIII. Edit. germ. p. 357.

f) l. c. p. 263.

currit, qui Oxoniae anno MDCXLIII. Medicinae Doctor creatus eſt. Brevis haec relatio ex Athenis Oxonienſibus, ut opinor, deprompta eſt, neque plura de *Henrici St. Georgii* ſcientia medica aſſerere valeo.

§. XIX.

Poſt equites Periſcelidis, in Magna Britannia, *Baronetti* ex illo Equitum numero ſunt, qui ordine ſecundi a prioribus habentur, adeo ut Equites ex illo naſcentes, vi inſtituti, Equites de Balneo & reliquos Equites auratos & armigeros dignitate antecedant, Barones vero regni proxime ſequantur. Priusquam vero de dignitate Baronettorum plura proferam, rationem reddendam eſſe arbitror, quae me moverit, ut *Equites Baronettos* hoc loco inter Ordines equeſtres Angliae, qui externo honoris & dignitatis ſigno fulgent, recenſeam. Difficile enim mihi viſum eſt, debitum illis locum adſignare. Licet enim Equites Baronetti, Ordinis Magiſtro generali, Statutis ac Ordinis capitulo, & externo honoris ſigno, careant, equitibus tamen auratis Angliae iuſto titulo immiſceri nequeunt, quoniam honor iſte Baronettis non tantum Diplomate datur, ſed & ipſa dignitas, in eosdem collata, haereditatis iure etiam filiis primogenitis, in linea recta maſcula deſcendente, tribuitur. Praeterea Baronettorum dignitas, inter Nobilitatem maiorem minoremque Angliae media quaſi eſſe cenſetur, ut ex ſequentibus patebit. Cum itaque, ex prima inſtituti lege, Equitibus de Balneo priores eſſe debent, & Baronetti Scotiae, qui eadem dignitate cum Baronettis Angliae gaudent, ut infra monſtrabimus, inter Equites cruciferos referendi ſunt; igitur hunc Ordinem huic loco, poſt Equites Periſcelidis inſerui. Ea autem Baronettorum conditio, quae eos ſupra nobilitatem minorem evehit, me cogit, ut de nobilitatis Angliae gradibus & differentiis, non adeo ubivis cognitis, quaedam praemittere debeam.

Nobi-

Nobiles in magna Britannia g) in Nobiles *maiores* vel *nominatos*, immediate per Diplomata regia, aut ad Comitia summonitorios, & in *minores* vel *innominatos*, mediate e facultate regia transmissoria, idque vel Diplomatibus, vel nudis ceremoniis, distinguuntur. Nobiles maiores, Proceres, vel Pares regni sunt. Eorum dignitas est perpetua, & in titulis & feudis haereditaria. Titulo, splendore & dignitate, quidem nobiles maiores inter se differunt; nam Ducum, Marchionum, Comitum, Burggraviorum sive Vicecomitum, & Baronum nomine distinguuntur; sed in summis regni Comitiis, quae Parlamentum vocant, sedem nomine tantummodo Baroniarum tenent, adeo ut vel maximus Dux in Parlamento sedens, quamvis pro gradus eminentia collocetur, Baroniae solum ratione locum obtineat, neque ulla alia ratione, Archiepiscopis & Episcopis Magnae Britanniae ibidem sedere concedatur, nisi quod Episcopatibus Baronatus & Baroniae alicuius coniunctam possessionem & dignitatem habeant. Quilibet Dux simul titulum Marchionatus, Comitatus, Vicecomitatus, & Baroniae gerit; Marchio vero titulum Comitatus, Vicecomitatus & Baroniae; Comites simul Vicecomitatus & Baroniae. Baro titulo *Lord* salutatur, qui etiam indistincte cuivis Pari regni convenit. Dignitas Paris regni, vel nobilis maioris, post mortem patris in filium natu maximum transfertur, sive delabitur. Superstite vero adhuc patre, filii natu maximi Ducum, secundum consuetudinem, titulo, vel Marchionis, vel Comitis, ex patris titulo desumto, insigniuntur; & Marchionum vel Comitum filii natu maximi, eodem modo vel Vicecomites, vel Barones vocan-

g) *Roberti* Gloveri, Fecialis olim celeberrimi, & in Collegio Heraldico Angliae, nomine Sommerset dicti, Opus rarum a *Th.* Milles absque utriusque nomine editum, sub titulo: *Nobilitas politica vel civilis* &c. Quo tandem & apud Anglos qui sint nobilium gradus, & quae ad nobilitatis fastigia evehendi ratio, ostenditur, Londini 1608. fol. p. 42. seqq. p. 51. seqq. p. 158.

cantur, & Domini ſive *Lords* ſalutantur, ſed tantum ex indulgentia conſuetudinis, & ſanguinis gratia, cum ſecundum leges neque inter Comites, neque inter Barones vel Pares regni referri poſſunt, ſed armigeri tantum ſunt habendi, neque ullum in comitiis regni ſuffragium vendicare ſibi poſſunt, quamdiu parentes vivunt, niſi Rex filium Paris cuiusdam, natu maximum, vel haeredem, tam ſapientia & conſilio, quam aetate provectum viderit, quemque maximis Parlamenti Comitiis adeſſe dignum perſpexerit, & ad id honoris faſtigium adſciſcit. Regis enim gratia & praerogativa adeo indeterminata eſt, ut, quos velit, ad honores provehere & in Parlamentum admittere poſſit. Tituli & iura Procerum, in defectu ſtirpis deſcendentis, fratribus minoribus proxime ſuccedentibus, haereditatis iure conferuntur, & notum eſt, quod deficientibus maſculis, ad ſequiorem ſexum haereditate devolvantur, niſi in primis Diplomatibus verbis diſertis aliter cautum fuerit. Filii quoque ſecundogeniti Ducum Marchionumque vocantur, ex gentis quadam humanitate & manſuetudine, *Lords*, uerbis iſtis: *My Lord*, ſed praefixis ad nomina eorum in baptiſmate data, vel etiam ad cognomina familiae propria, ex reſpectu parentum eorum, qui in tam eminenti dignitate conſtituti ſunt: ſed Barones *h*) regni non ſunt, neque Pares, neque Proceres, quoniam ex hac ſola ratione nullum habent ius loci & voti in ſuprema Curia. Filii natu minores Comitum, Vicecomitum & Baronum, inter nobiles quidem referuntur, ſed titulum *Lord* non gerunt, tamen ſecundogeniti Ducum, Vicecomites, & ſecundogeniti Marchionum, Barones praecedunt. Barones vero ex ordine nobilitatis hucusque ſtabilito, docente GLOVERIO, ſtatim Vicecomitum primogeniti, & Comitum ſecundogeniti ſequuntur, tunc Baro-

h) SELDENUS de Titulis honorum. Francof. 1696. 4t. Tom. II. p. 520.

Baronum primogeniti, Milites Banneretti regii, Vicecomitum ſecundogeniti & Baronum ſecundogeniti locum obtinent. Nobiles vero inferiores ſive innominati, ſunt Equites aurati, armigeri, ſive *Esquire* dicti, & generoſi alii qui *Gentlemans* vocantur.

Equites Periſcelidis, praeſenti tempore, ſemper maiori ex ordine nobilium ſeligi, ex Catalogis eorum patet.

Haecce omnia praemittere placuit, ut eo melius, quae ſit Baronettorum dignitas, dilucide explicari poſſit. Tenore enim inſtituti, Baronetti quaedam cum nobilium ordine maiori, & quaedam cum Ordinibus equeſtribus, communia habent. Nam, ſecundum Diplomatis verba, proxime dignitate Barones ſequuntur, ac haereditate filiis ſuis titulum & honores Baronetti relinquunt, ſed pari modo, ac Equites, hac dignitate nullum in domo ſuprema, Curiae regni, locum occupant, & inter Pares regni, ſive nobiles maiores, minime referuntur; nec decedente Baronetto ſine prole maſcula, dignitas fratribus eius accreſcit, ſed exſtinguitur. Omnibus aliis equitibus, exceptis iis, qui Ordine Periſcelidis ornati ſunt, Baronettos praecedere, in initio §. iamiam monuimus; etiam prae omnibus militibus, ſive equitibus Bannerettis, locum occupant, iis Bannerettis ſolum exceptis, qui Rege in exercitu praeſente, & ſub regiis vexillis, in aperto vel manifeſto bello, a Rege ipſo equites Banneretti creantur. Banneretti vero, ſive Equites vexilliferi, quorum dignitas inſtar equitum auratorum non haereditaria eſt, a quibusdam ſaepe cum Baronettis confunduntur. Illi ob res bene in bello geſtas, copiis praeſentibus, ſub vexillo equeſtri creantur. Conceſſum illis eſt, militaris virtutis ergo, quadrato vexillo, perinde ac Baronibus, uti, unde Banneretti etiam Equites vexillarii, ſive vexilliferi dicuntur. Nemini enim alias, in Magnae Britanniae regnis, ius portandi inſignia ſua in vexillo quadrato licitum eſt, in quacunque ſit dignitate conſtitutus, exceptis iis, quibus hoc ex officio & munere bellico, ut Coneſtablio,

ſtablio, Admirali & Marſchallo, competit, praeterquam Baronibus, & iis qui Baronibus ſuperiores dignitate exiſtunt. Erecta vero Baronettorum dignitate, mox graviſſimae lites inter filios Vicecomitum & Baronum minores, & novos Equites Baronettos, ratione loci principis, exortae ſunt. Ordine enim huc usque conſueto, illi ſtatim poſt Equites Baronettos, a rege ipſo in bello, praeſente exercitu, creatos, locum primarium obtinebant, quem nunc Baronettis concedere iniquum iudicabant. Conditor itaque, ne florem nobilitatis nova dignitate laederet, alia lege *i*) eorum iura ſarta tectaque cavebat. In Diplomatibus regiis, quorum formulam SELDENUS l. c. huius generis ſolito ſcribendi genere conceptam, tradidit, (ex qua brevibus ea, quae ad praerogativam huius dignitatis attinent, hic referre lubet,) legimus: Equitibus Baronettis Regem conceſſiſſe, ut nomini ipſorum & haeredum maſculorum ſuorum, in ſermone anglicano, & omnibus ſcriptis anglicanis, praeponatur honoris ſignum anglicum, *Sir*, & uxoribus eorum honorifica appellatio, *Lady*. Sanciebat quoque conditor dignitatis, ut Baronetti eorumque nati, aliqua inſignium ſuorum parte vel ſcuto, in campo argenteo, manum ſanguineam, ſive inſignia Provinciae Ultoniae regni Hiberniae adiicere poſſent, & Baronettis proximus locus a vexillo in regis exercitu, cum aliis praerogativis nonnullis, quae ad funera eorum attinent, concedebatur. Rex enim Angliae Iacobus I. qui hanc dignitatem circa annum MDCXI. ſuaſu celebris illius Equitis, Roberti Cottonis *k*), inſtituit, exhauſto aerario publico, ſumma pecuniae inopia laborabat, pro alendo exercitu, quo terram Ultoniae, in Hibernia, ſuae poteſtati ſubmittere poſſet. Imponebat igitur cuique, qui dignitatem Equitis Baronetti cuperet, ut triginta pe-

k 2 dites

i) SELDENUS l. c. Tom. II. p. 681. ſqq.

k) *Brittiſche Biographie* in vita Cottonis. Tom. V. Edit. germ. p. 588. SELDENUS l. c. Pars II. Cap. V. p. 582.

dites in Hibernia per tres annos aleret, & ipsis quotidie octo denarios, nummorum Sterlingicorum, monetae anglicanae, daret, integrum vero unius anni stipendium Camerae regiae Receptorum solveret, simulac eius Litterae patentes signatae essent, & tota statim solvenda summa, cum reliquis sumtibus, libras circiter 1200. nummorum Sterlingicorum aequabat. In instructionibus ita dictis Commissariorum legimus, solutionem in publicum opus fuisse motivam causam istius dignitatis, & in Diplomatibus Baronettorum explicatur *l*), Regem viros, familia, patrimonio, censu, & morum probitate spectatos, elegisse, qui ipsi auxilium & subsidium satis amplum, generoso & liberali animo, dedissent, pro defensione regni Hiberniae, & praecipue pro securitate sic dictae Plantationis Provinciae Ultoniae. Nam in recipiendis requirebatur, ut essent viri egregiae qualitatis, sufficientium opum, & bonae famae, istoque honore digni, progeniti ad minimum ex avo paterno, qui arma gestasset, & haberet certos proventus annuos mille librarum Sterlingicorum ex agris per haereditatem acquisitis, vel agros antiqui census, qui, rationibus subductis, aequivaleant mille libris nummorum Sterlingicorum, per annum certorum redituum. Rex Iacobus, hac dignitate condita, statim aerarium suum summa centies mille librarum nummorum Sterlingicorum locupletabat. Promittebat quoque Rex, quod nec ipse, nec haeredes vel successores sui, creaturi essent aliquem alium gradum, ordinem, nomen, titulum, sive dignitatem, qui esset, vel esse posset sub illo gradu, vel infra gradum, dignitatem, sive statum Baronum regni sui, & qui esset, vel esse posset superior gradu ac dignitate, vel aequalis gradui & dignitati Baronettorum. Licet vero promisisset, se numerum ducentorum Baronettorum solummodo completurum, & si ex his aliqui ex vita discederent, absque haeredibus masculis, se non alios creaturum, quo eorum numerus diminueretur & in minorem redigeretur;

l) Seldenus ibid. p. 586.

retur; haec clausula tamen sequenti tempore non observata est, ut ex Catalogo Baronettorum apparet, quem *Vitus* MIEGE *m*) exhibet: numerus enim huc usque creatorum, in Anglia, 900. iam excederet, nisi ultra 300. sine mascula prole, & cum iis dignitas Baronetti exstincta esset. Eodem ex Catalogo MIEGII discimus, varios Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites & Barones Angliae, nec non multos ex ordine maiori nobilium Scotiae & Hiberniae, dignitatem Baronetti sibi & familiae suae procurasse, luculento testimonio, maiores nobilium, acquisitione huius dignitatis, aliquam praerogativam quaesivisse.

Equites Baronettos in Anglia externo quodam honoris signo suae dignitatis gaudere, nullibi lego. Equites vero Baronettos Scotiae, quos idem Rex Iacobus sextus Scotiae, & in Anglia primus, eadem conditione instituit, quo reditus, exinde provenientes, in usum Coloniarum novae Scotiae verteret, si narratis fides habenda, referente MIEGIO *n*), ligamento serico, coloris arausiaci, in collo cinguntur, cui coerulea crux, quae a Sto Andrea nomen habet, scuto argenteo impressa, adhaeret; huiusque in parte superiore insignia Scotiae, corona imperiali tecta, cernuntur. Integro scuto circumscripta leguntur verba: *Fax mentis honestae gloria.* Nomina eorum apud eundem MIEGIUM *o*) legimus, & numerus ducentos excedit. Baronettos etiam in regno Hiberniae, dudum iam ante institutum Ordinem Regis Iacobi, floruisse apud SPELMANNUM *p*) invenimus, qui octo eorum ex antiquis Scriptoribus profert, & qui de illis plura recensens conferri meretur.

m) Tom. I. Cap. XVI. pag. 513.

n) Tom. II. Cap. XIV. pag. 245.

o) Tom. I. pag. 245.

p) Henr. SPELMANN in Glossario archaiologico, sub voce: *Baronettus.* Lond. edit. ann. 1664. pag. 73.

§. XX.

Inter Medicos Baronettorum dignitate illuſtres, celeberrimus *Iohannes* SLOANE prae ceteris omnibus inclaruit. Quodſi diverſos huius honorum titulos ac dignitates, fortunas, relictumque poſt fata bonorum numerum inſignem, commemorare; ſi pari modo praeclari eius Muſei, pretium quinquaginta millium librarum longe excedentis, praeſentique tempore maximam inclyti Muſei Britannici partem exhibentis, mentionem iniicere animus eſſet, ſumma prolixitate hoc loco utendum foret. Sed haec ſilentio praetereo, cum a vitae eius ſcriptoribus *q*) longe lateque recenſita ſunt. Id modo adducam, quod anno MDCCLIII. tanquam Eques Baronettus, Archiatrorum Regis primus, Regiae Scientiarum Academiae, Collegiique medici regii Praeſes, anno fere aetatis ſuae centeſimo, ſeu, quod alii contendunt, nonageſimo tertio, nulla maſcula prole relicta, fato functus fuerit. Filiae eius duae, quarum natu maior Domini Stanleii vidua, natu minor autem ante dicti Comitis Cadogani coniux, haeredes fuerunt. Exequiae illi habitae fuere Chelſeae, ubi, inſigni cum pompa & ſplendido comitatu, corpus demortui in tumulum genti ſuae proprium delatum fuit; ſyrmata panni funebris a ſex Viris illuſtribus, duobus nimirum Baronibus, a famigeratiſſimo praefecto militum Ogletorpio, & a tribus Equitibus ducebantur. Ortus fuit *Iohannes* SLOANE ex antiqua gente Scotiae, quae ſedem ſibi fixam in Regno Hiberniae, eiusdemque civitate Kittelagh dicta, elegerat. Dignitatem Baronetti anno MDCCXVI. a Rege Georgio Imo impetravit, cui deinceps munus Archiatri annexum fuit. Quando in Commentariis Goettingenſibus aſſeritur, eum hac dignitate non po-

q) De Vita eius vid. Comment. Soc. Reg. Scient. Gœtting. T. IV. Part. ult. p. 147. Journal Britannique par Mr. MATY, Tom. X. p. 232. Comment. de rebus in Scient. nat. & Med. geſtis, Volum. II. p. 367.

potius suae familiae, quam toti Medicorum Ordini, honores ac inauditam eo usque intulisse nobilitatis famam tanto maiorem, quod ante illum nunquam in Britannia Medico contigisset, ut Baronettus creatus fuerit; notandum mihi venit, quod iam Angliae Rex Carolus II. Archiatrum suum, *Eduardum* GRAWES, antea in Collegio Mertoniensi, Oxoniae, Professorem Medicinae primarium, Regisque Caroli I. in itinere Medicum, hac dignitate ornaverit. Quantumvis nomen illius in praedicto Baronettorum Catalogo Miegiano haud notatum reperiatur, dubio tamen prorsus vacat, illum hanc obtinuisse dignitatem: *Thomas* enim SMITH, in Vitis quorundam eruditissimorum ac illustrium virorum *r*), hunc *Eduardum* GRAWES, Collegii omnium animarum, & celeberrimi Collegii Medicorum Londinensium Socium, Medicum Serenissimi Regis Caroli ordinarium, & dignitate Baronetti illustrem, appellitat, cuius elegantissima exstat Oratio, in Collegio Londinensi anno MDCLXI. die Harvaei memoriae dicato, habita, & IOECHERUS in Lexico biographico eruditorum universali, in delineata *Eduardi* GRAWES vita, eiusdem dignitatis Baronetti, mentionem facit; cuius asserti veritatem, ex *Antonii* WOOD Athenis Oxoniensibus, & WARDII Vitis Professorum Collegii Greshamensis, in Anglia editis, tanquam genuinis e fontibus haustam probat. His igitur testimoniis omnis rei ambiguitas aufertur. Praeter Iohannem Sloane recentiori aevo *Eduardus* HULSE, Medicinae Doctor, Medicus Regis, & Collegii Regii Medicorum Londinensium Socius, pari modo dignitatem Equitis Baronetti adeptus fuit, cuius dignitatis titulo in Catalogo nominum Sociorum Collegii Regii Medicorum Londinensium *s*) effertur. Nuperrime adhuc, & quidem in anno praeterito, Mense Augusto, *Vilelmus* DUNCAN de MA-

r) Londini. 1707. 4to. in Vita Ioh. Grawii p. 34.

s) Vid. Pharmacop. Colleg. Reg. Med. Lond. anno 1746. edit.

Marybone *t*), Medicinae Doctor, unus ex Archiatris Regiis, a Rege feliciter nunc regnante pari dignitate donabatur. Neque diffitebor, quod plures alii, tam ante tempus praedictum hoc nomine ac dignitate inclaruerint, quam & praesenti aevo aequo honore fruantur, quorum forte nomina notitiam meam fugiunt. Baronem *Iohannem Ottonem de* Hellwig, Consiliarium & Archiatrum Regis Daniae, Electoris Palatini & Ducis Saxo-Gothani Consiliarium intimum, Professorem Medicinae honorarium Academiae Heidelbergensis, MDCXCVIII. mortuum, qui suis in Indiam Orientalem susceptis itineribus, scriptisque variis in lucem missis, inclaruit, huic Equitum numero fortassis accensere possumus. Testatur enim vitae ipsius curriculum *u*), quod Rex Angliae Carolus II. Baronis titulo eundem ornaverit. Cum nec in Anglia natus, neque ius & conditionem indigenarum Angliae obtinuit, dignitatem Baronis in Anglia usitatam adipisci non poterat; sin vero & viris illustribus exterarum gentium Baronetti dignitas tribuitur, haec forte illa fuit, quam a Rege impetravit; siquidem in adducto vitae eius curriculo asseritur, quod a Rege quoque Eques Britannus creatus sit. De celebri *Iohanne* Sloanio, qui ex omnium sententia medicae Facultati multum famae paravit, duplex modo adhuc argumentum afferre lubet, quod in collectionibus meis historico-litterario-medicis servatur. Unum petitur ab eius imagine, in folio maiori, a pictore T. Murray delineata, & a I. Fabro anno MDCCXXVIII. aenea figura atroque colore expressa; alterum consistit in numismate, a Dassiero filio, latum temporis spatium in Anglia emenso, olim excuso, binas uncias & quartam unciae partem argentei ponderis continente. Hoc numisma in altero latere faciem Sloanii, dextrorsum spectantem, & multa arte effictam, sistit, corporis habitus vestimento lar-

t) The Gentlemans Magazine for August. 1764. p. 399.

u) Vid. Eius Arcana maiora. Francof. 1712. in Praef. & Motschmanni Erford. litter. Vol. I. p. 137.

largiori, & caput amplo cucullo nocturno tegitur, inscriptaque imagini verba sequentia leguntur: *Hans Sloane, Eques Baronettus;* inferiori deinde in parte *A. Dassier. F.* Inverso in latere superius encarpis, inferius decussatis ramis, e quercu arbore cum fructibus ornato adhaerentibus, legitur: *Praeses Societatis Regiae Londinensis MDCCXLIV.*

§. XXI.

Omnes fere Scriptores *x*), qui de Equitum creatione & inauguratione memoriae aliquid prodidere, notant, usitatam antiquo tempore fuisse solennitatem, cum Equites crearentur, ut Candidatis armigeris, balnei usu, barbaeque tonsura, vespera, vel nocte actum solennem creationis praecedente, opus fuerit; ritus, qui in Gallia, Hispania, Italia, & speciatim in Anglia, valde obtinuerunt. Eadem solennitas in Regno Angliae iam dudum ante tempora Henrici IV. viguit, ac licet huic Regi, ipsa institutio atque dispositio equestris amictus *Equitum de Balneo* tribuatur; Autores tamen magnae famae *y*) testimoniis haud reiiciendis probarunt, quod iam tempore Henrici II. Iohannis I. illorumque successorum, *Equites de Balneo* creati fuerint, quorum vestitus, iusiurandum, caeteraeque in actu creationis usitatae solennitates, cum iis omnibus conveniunt, quae tem-

x) E. gr. SELDENUS de Tit. honor. Part. II. Cap. IV. §. VIII. & varii ibi cit. Historici Hispani. *Du* FRESNE in Glossario, voce *Miles*, Tom. II. p. 538. seqq. P. DANIEL Hist. de la Milice Franc. Tom. I. p. 99. *Franc.* REDI in Annotat. ad Baccho in Toscana Operum Tom. III. pag. 205. seqq. MENENIUS l. c. p. 10. seqq.

y) *Petrus* BLESENSIS Epist. 94. *Ioh.* SALISBURIENSIS de Nugis curialium. Lib. VI. X. SELDENUS lib. cit. Part. II. Cap. V. §. 35. *I. C.* DITHMARI Comment. de Honoratissimo Ordine militari de Balneo. Francof. ad Viadr. 1729. fol. pag. 12. seqq.

tempore Regis Henrici IV. anno MCCCXCIX. cognitae fuere. Iſtae quoque ſolennitates in recentioribus huius Ordinis Statutis de anno MDCCXXV. definitae, & maximam partem ſervatae ſunt. Tradunt & illi Autores, qui de antiquitatibus aeque ac ritu Ordinis ſolide elaborata ſcripta reliquerunt, quod iam aevo antiquiori Equites rubro ligamento, humeris ſuperſtrato, & ſtella ſerica coerulea acu picta, e qua tres coronae aureae nitebant, diſtincti fuerint. Equitum numerus alio tempore non certus, ſed pro lubitu definitus fuit, acciditque ſaepenumero, ut in ſolenni Equitum creatione triginta, quadraginta, quandoque & quinquaginta Equites uno actu crearentur, qui ex minori aeque ac maiori nobilium ordine hunc in numerum ſuſcipiebantur. Ex Equitibus de Balneo huc referendis, locum ſibi merito vendicat *Iohannes* Stavelius z), de quo commemoratur, quod Oxoniae anno MDCXLII. d. xvi. Ian. Magiſtri artium, eodemque anno d. nimirum XXXI. Ian. Medicinae Doctoris gradum conſequutus fuerit. Fuit e gente Staveliorum a Seculo undecimo in Sommerſetia inclyta. De eruditione eius in arte medica plura fortaſſis adducere poſſem ex *Antonii* Woodii Athenis Oxonienſibus, ſi huius libri copia mihi facta eſſet; in quo vitae Stavelianae curriculum contineri aiunt. Adeoque certo affirmare nequeo, num Doctoris titulo ob acquiſitam eruditionem in arte medica, an modo honoris cauſa, potitus fuerit. Interea de illo conſtat, quod Regi Carolo I. in lite infelici cum regni Angliae Curia ſuprema, tam fida officia praeſtiterit, ut & ſuis ipſius ſumtibus, in huius auxilium, copias paraſſe tradatur: quae vero fides Regi praeſtita, cum Proceres, qui a Regis partibus ſteterant, ſuccubuerunt, illum non tantum maxima opum ſuarum parte, verum & libertate ipſaque vita fere privaſſet. Nihilo tamen ſecius fidus Regi Socius man-

z) Matthiae Conſpect. chronolog. hiſtor. med. p. 632. *Allgemeines Hiſtoriſches Lexicon* cum praef. Buddei, voce: *Stawel.*

mansit, obiitque anno MDCLXI. d. xxi. Febr. cum iam sexagesimum secundum aetatis suae annum attigisset, annoque mortis suae articulum praecedente, ea fortuna adhuc delectatus fuit, ut Regem Angliae Carolum II. solium regium conscendere videret. Filius illius, Rudolphus Stavelius, qui patris exemplo, quacunque occasione nascente, singularem parti regiae fidem servaverat, ea gaudebat felicitate, ut a Rege Carolo II. anno MDCLXXXI. d. x. Ian. titulo Baronis Stavelii de Somerton ac Paris Angliae honoraretur. Quo anno antedictus *Iohannes* STAVELIUS Eques factus sit, affirmare haud valeo, cum diversi hoc nomine ac praenomine insigniti, Equitum in Indice reperiantur. Dubio interim prorsus vacat, tempore Caroli I. sceptrum imperii tenentis, haec accidisse. Restauravit Ordinem de Balneo Rex Georgius I. anno MDCCXXV. eumque splendidiorem reddidit, eiusque Statuta adauxit, in quibus inter alia sancitum fuit, ut Ordo iste, Rege & uno Principum ex Regis filiis, qui Dux Cumberlandiae tempore praesenti adhuc audit, non computato, triginta quinque Equites, & Magistrum Ordinis generalem contineret, ea nimirum lege, ut idem numerus Equitum nullo unquam tempore adaugeretur. Praeter diversas solennitates, vestimentorum ac rituum genera, in Statutis definita, Ordinis insigne, laeva in parte vestis conspicuum, tribus coronis regiis, in area aurea explicatur, cum emblemate huius Ordinis, circulo coloris rubri inscripto; e circulo, tanquam ex centro, splendor, seu octo radii argentei prodeunt, qui sese extendunt. Insuper & Equites taenia rubra induuntur, quae oblique ab humero dextro ad latus sinistrum deflectit, cuique insigne huius Ordinis affixum est, quod a sinistro latere pendet. Vetustissimum Ordinis emblema est: *Tria iuncta in uno.* Quae verba rubro circulo, ut notavimus, inscripta sunt. Ad Equitum Ordinis dignitatem adspirare possunt Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, & etiam infra dignitatem Parium Regni, ex generosa stirpe prognati. Nam eodem tem-

pore, quo Ordo reſtaurabatur, ſcilicet anno MDCCXXV. & Equitum numerus certus conſtituebatur, multi e Baronettis, eorumque filii natu maiores, aliique ex inferiore nobilium ordine, in illum adoptabantur. Primus Magiſter Ordinis generalis, §. XVII. iam nominatus, Dux *Iohannes de Montague*, conſtitutus fuit, eademque cauſa, quae eius mentionem loco ſuperiori facere me impulit, & hoc loco illum non negligere merito ſuadet. Eodem tempore Dux *Carolus Lenox* inter Equites Ordinis de Balneo primus Eques, ſtatim poſt Ordinis magiſtrum generalem, receptus eſt. Vi Statutorum ſeptem quoque Ordinis miniſtri adhibendi ſunt: nimirum Decanus, Genealogiſta, Rex armorum, Regiſtrator, Secretarius, generoſus Apparitor, & Tabularius, quorum amictus & ſigna honoris externa, in dictis Statutis definiuntur. Quoniam vero non apparet, num & Medici, horum in numero huc referendi, reperiantur, evitandae omnis prolixitatis gratia, de iſtis plane tacebo.

Licet, hanc Commentationem elaboraturus, Equeſtres Ordines ſecundum originis & inſtituti antiquitatem, recenſendi animus fuerit, tamen, occaſione Ordinis Sti Michaëlis, reliquos ſimul Ordines gallicos, aetate minores, conſignavi; neque primum, quem elegi, ordinem, in commemoratione illos ſequentium, commode ſervare potui. Cum iam de Ordinibus anglicis tractandi materia pro argumento ſit, praeter Ordinem Periſcelidis & Equitum de Balneo, Equites Baronettos in praecedente §. memini. Quae vero de Anglorum Equitibus auratis, Baccalaureis & Armigeris dicenda ſunt, inferius debito loco tradam.

§. XXII.

Cum Ordinum equeſtrium ſplendor in aulis Principum, ſecundum §. IV. quam maxime fulget; in *Suecia* vero varii Ordines equeſtres antiquo tempore floruerunt, qui tempore ſequenti ſenſim evanuerant: eadem haec cauſa Regem Sueciae

bea-

beatiſſimae memoriae, Fridericum primum, praecipue movit, ut ſuaſu Sereniſſimi eius in Regno Succeſſoris, nunc vero quam feliciſſime regnantis Regis Friderici Adolphi, & Auguſtiſſimae eius Coniugis, Louiſae Ulricae, anno MDCCXLVIII. tres Ordines equeſtres denuo inſtituerentur.

Primus inter hos, nimirum *Ordo Seraphinorum*, ſolis Regibus atque Principibus, in ſignum amicitiae & cultus, ut & Supremis Coronae ac belli Miniſtris, quo a ceteris diſtingui poſſint, in praemium fidei & integritatis, ac in honoris ſignum datur. *Ordo militaris Gladii* iis, qui bello inclaruerunt, pro ſingulari virtutis ſigno & praemio tribuitur. Cum Rex Sueciae, Adolphus Fridericus, pariter ac Auguſtiſſima thori regii ſocia, optimarum artium ſtudio, & omnibus regio ſolio digniſſimis ſcientiis ornati ſunt, nec non haud pauci ex ſapientiſſimis Regni Senatoribus palmam eruditiſſimis viris praeripiunt; inde aliter fieri non potuit, quam ut artes & ſcientiae, in Regno Sueciae, ſummo in pretio habeantur. Summi itaque imperantes, ob praeclaram & ſingularem in omni ſcientiarum & artium genere, cognitionem, non ſolum ingeniorum vires, in quacunque eruditionis parte, aeſtimare poſſunt, ſed ſimul, ob propenſum erga bene meritos ſubditos animum, non ſatis laudandum, etiam eos iuſtis praemiis condecorari cogitarunt. Ex tam generoſa regiae magnanimitatis altitudine factum eſt, ut eo tempore & tertium nobile Ordinis equeſtris genus ſancirent, *de Stella polari* dictum, illis quoque Viris tribuendum, qui nobilitatis quidem genere haud conſpicui, meritis tamen ſingularibus inclaruere. Meretur itaque hic Ordo, tanquam verum regiae gratiae & indolis ſignum, feliciſſimumque iudicium Patriae Patris munificentiſſimi, in Eruditos ac Subditos bene meritos, ut tanto magis hoc loco adducatur. Signum Ordinis eſt alba & in extremitatibus fiſſa crux, regia ſub corona nitens. Sub cruce globulus coeruleus, affixa cum Stella ſeptentrionali quinquangulari, ſuperaddita inſcriptione : *Neſcit occaſum.* Inſtitu-

 tionis

tionis ex lege, numerus Equitum huius Ordinis viginti quatuor maior haud esse debebat; deinde vero in numerum vigesimum octavum usque, & maiorem excrevit, Praefectis Ordinis sive Commendatoribus haud computatis, quorum numerus ad viginti duo usque extensus fuit. Praefecti crucem ab atro ligamento pendentem supra descriptam in collo gerunt, stellamque acu pictam in pectoris una parte, Equites vero solam crucem cum ligamento nigro, collo circumdatam, pro ornamento habent. Rex Sueciae singulis tribus Ordinibus omni tempore tanquam Supremus Magister praesidet. Rex Fridericus cum Ordines Gladii & Stellae polaris inauguraret, ad augendum Ordinum splendorem, convocato Regni Senatu, se ipsum d. xxv. Aprilis MDCCXLVIII. binorum Ordinum signis omni dignitate & splendore ornavit; Serenissimo deinde Successori in Regno, eiusque Filio, Principi Gustavo, aequo modo tribuit, nec non Ordinum Commendatores & Equites solenni ritu creavit. Singuli Equites origine Sueci, anteaquam Ordine Seraphino potiantur, Ordinibus Gladii & Stellae polaris iamiam induti esse debent; e contrario omnes quoque Equites Ordinis Seraphini, Suecorum e gente prognati, reliquorum binorum simul Praefecti sive Commendatores audiunt. Prima dies, festivis instituti Ordinis Seraphinorum solennitatibus dicata, d. xxviii. Aprilis eiusdem anni, tanquam dies natalis regius indictus quidem fuit; sed cum eadem dies simul Dominica cum die miscebatur, die vigesimo nono dicti mensis, Holmiae magna cum pompa instituti Ordinis solennia fiebant; & Seraphini Ordinis Commendatores & Equites denominati, omni apparatu regiae magnificentiae in hunc Ordinem cooptabantur.

Cum inter Suecos nativos non exigua pars eorum fuit, qui in arte medica inclaruerunt, constat, & nonnullos ex horum numero, Ordine Stellae septentrionalis prae caeteris ornatos fuisse. Celeberrimus ille Archiater, *Carolus* LINNAEUS, Pro-

Professor Medicinae Vpsaliensis, Membrum Academiarum famosissimarum, atque Societatum doctissimarum in omnibus Europae partibus, qui non tantum opera, quam studio Historiae naturalis Regni Suecici impendit, sed & in genere de arte Botanica optime meruit, & cuius nomen in singulis terrae partibus celebratur, anno MDCCLIII. die XXVIII. mensis Aprilis, tanquam Ordinis die, hoc munere insignitus fuit. Neque minus Perillustris & celeberrimus *Nicolaus* ROSEN, Medicinae Doctor, antea Professor Anatomiae & Medicinae Vpsaliensis, nunc vero Serenissimi ac Potentissimi Suecorum Regis Archiater, non solum anno huius Seculi quinquagesimo sexto, a Serenissimo Rege suo, in nobilium Imperii Ordinem susceptus, eodemque anno ab Illustrissimis Regni Ordinibus Archiater Imperii Suecici, & Regiorum Archiatrorum Comes, constitutus est, sed in honoris complementum, & virtutis praemium *a*) anno Seculi quinquagesimo octavo, Eques Ordinis Stellae polaris creatus est. Cum Vir Perillustris & generosissimus, iam vera meritorum laude conspicuus, nec elogio, vel titulo, neque insignibus nobilitatis acquisitae hactenus uteretur *b*), honos iste ipsi nuper denuo confirmatus est, adeo ut Serenissimo Regi ipsi, ornamentum & nominis & insignium eligere placuerit. Appellatur is itaque nunc ROSEN a ROSENSTEIN. Insignia vero, quibus utitur, haec sunt: Lapis ad monumenti similitudinem formatus, coronam regiam ferens, rosaque spinosa in quovis latere comitatus. Occasionem huic emblemati praebuit lapis, iussu Serenissimae Sueciae Reginae, Louisae Vlricae, ad fontem Soterium Locka positus, quo posteri doceantur, illum huic fonti contigisse honorem, ut Rex, qui diu ac vehementer cepha-

a) Vid. Götting. Gel. Anzeigen 1758. n. 37. BOERNERS *Nachricht, von ietzlebenden berühmten Aerzten. III. Band. p. 769. 780.*

b) Vid. Comment. de Reb. in Scient. nat. & Medic. gestis Vol. X. P. IV. p. 723.

cephalalgia laboraverat, aquae huius & ſedimenti uſu ſanatus fuiſſet.

Cum doctos in hac Commentatione Medicos recenſendo, nonnunquam & de Nummis, in illorum honorem cuſis, quaedam ſubieci, duplex me ratio movet, cur nummum tacere nequeam, in honorem celeberrimi Domini LINNAEI, cum Signo Ordinis Stellae polaris, excuſum; eam nimirum ob cauſam, quod partim dignitas equeſtris huic Viro tributa, magnaque illius in Regnum Suecicum merita, huic inſtituto anſam dederint; partim quod eadem ipſa moneta inſigni raritate ſua notanda venit, cum exiguus ſaltem numerus ſpecierum argentearum aeque ac aerearum, typo disrupto, parari potuerit. Nonnullis abhinc annis de nanciſcendo hoc nummo multum laboravi, ut collectionem meam numiſmaticam tanto abſolutiorem redderem. Haec collectio, tempore praeſenti, centum & quinquaginta Nummis medicis recentioris aevi numeroſior eſt; illos tantum nummos intelligo, qui Medicorum imagines exhibent, exceptis inſuper illis, in quibus nudum nomen Medicorum legitur, vel ſingularia fata medica, morbi, aliaque notantur; a quibus adhuc ſeparo nummos antiquos, quos ad illuſtrandam Hiſtoriam medicam ſervo. Magnus quidam Praefectus ac Comes, ex ſingulari gratia & favore erga me, hunc celeberrimi LINNAEI nummum in patria ſua ſumma quidem opera quaeſivit; aſt ob inſignem illius raritatem, omni licet lapide moto, idem haberi non potuit, donec celebris ille, nec minus ſolide eruditus Chymicus, *C. F. Meyer*, Sedinenſis, cui ego huius ſcrutinii ſpartam detuleram, ac qui per intervallum biennale, Carlscronae atque Vpſaliae moratus eſt, & in poſteriore loco magni LINNAEI, clariſſimique AURIVILLII praeceptis ſalutaribus erudiebatur, unum adhuc exemplar huius nummi invenit, meaeque collectioni addidit. Inclytus iſte ac doctiſſimus Academiae Regiae Scientiarum Suecicae Secretarius, ac Eques Stellae polaris, Dominus *Petrus* WARGENTIN, cuius eruditae

Diſ-

Dissertationes scriptis dictae Academiae, in toto terrarum orbe celebratae, singulari ornamento sunt, clarissimo *Meyero* & mihi adeo favebat, ut unicum suum, quod tantum possidebat, exemplar, ipsi daret, cuius facti ex instituto meminisse iuvat, quo benignum Suecorum eruditorum animum digna eademque publica laude praedicandi, gratique mei animi monumentum addendi, occasio mihi nascatur. Latus istud, quod imaginem in praestantissimo hoc & tam belle excuso nummo ostendit, effigiem celeberrimi LINNAEI, ad pectoris partem usque absolutam, cum cruce equestri a pectore demissa, repraesentat, hisce verbis inscriptam: *C. Linnaeus Equ. Aur. Archiat. & Pr. Vps.* Inferiori in parte litterae *D. F.* conspiciuntur. In dorso tres coronae regiae, illo modo positae, in conspectum dantur, quo in ipsis Regni Suecici insignibus fulgent, eo tamen discrimine, ut in prima eaque superiori corona, diversa animalia, ut aquila, leo, balaena; in secunda superiori, plantae varii generis, & in tertia inferiori corona, mineralia ac fossilia simul oculis occurrant. Tres istae coronae desuper radiis illustrantur, cui emblemati unicum additur verbum: *Illustrat.* Nummus praeclarae mentis & artis opus est, ipseque lusus allegoricus iis, quos magna Archiatri LINNAEI merita, tam in explicando naturae regno amplissimo, quam in peculiari Historiae naturalis Suecicae argumento, haud plane fugiunt, non nisi inventum ab acutissimo ingenio natum apparet, cuius auctor doctus ille Consiliarius, *Carolus Reinhardus* BERCH, rerum antiquarum in cognitione versatissimus interpres, fuisse dicitur. Nummi typos, politissima arte, discipulus praeclari Hedlingeri, celebris David Fehrmann, perfecit; qui iam anno MDCCXLVI. alium nummum similis magnitudinis, docti huius Viri gratia, composuit, qui orbi erudito magis innotuit, cum in KOEHLERI *Deliciis numismaticis Tom. XVIII. p.* 25. aeque ac in *Musaeo Mazzuchelliano, Tom. II. p.* 348.

Tab. CLXXXVI. No. IV. aeri incifus reperiatur, & uterque locus illius defcriptionem largiatur. Non ita pridem, fcilicet XXVIII. Aprilis anni MDCCLXVI. fefto die Ordinum Sueciae, inter Equites ordinis ftellae borealis receptus eft, Medicus celeberrimus *Chriftianus* RONNOW, natione Suecus, qui olim Confiliarii ftatus & Archiatri apud fapientiffimum Regem Stanislaum munere, fungebatur. Erat quoque primus Collegii Medicorum Nanceienfium focius honorarius, mortuo vero Principe ad patrios Lares rediit. Anteaquam huic paragrapho de Medicis in Regno Sueciae equeftri dignitate ornatis, colophonem imponam, ommittere non valeo, quod & in Regnis feptentrionalibus clarorum Medicorum pofteris fingularis honor habitus fit, iidemque faepius equeftri Ordine potiti fint. E catalogo enim Equitum Ordinis Suecici, *Guftavus Adolphus* Baro DE HIAERNE, Regni Senator, item Praefectus vigiliarum fupremus, *Thuro Guftavus* RUDBECK, nec non *L. C.* STOBAEUS, Praefectus feu tribunus alarum & Praefes provinciae Gothenburgicae, tanquam Praefectus Ordinis gladiati *c)* & Baro *Carolus Fridericus* PECHLIN, eques hujus ordinis, & chiliarchus, orbi innotuerunt; imo horum prior, non ita pridem ni fallor MDCCLXIII. magno Ordine Seraphinorum condecoratus eft. Iam diu quoque ante haec tempora, in numero Equitum, Ordinis Dannebrogici *d)* aliquem invenimus *Cafparum* BARTHOLINUM, nepotem talium virorum, quorum nomen ne tiro quidem rei litterariae medicae facile ignorat. Nec minus alius ex celebri Pechlinorum familia celebratus eft. Johannes fcilicet PECHLINUS Confiliarius intimus, Vindobonae 1720. Ducis Holfatiae legatus, poftea Regiminis & Juftitiae Can-

c) Vid. *Genealog. Archivar.* 1764. p. 24. p. 33. *Fortgefetzter N. Arch.* P. 39. p. 230. item 1766. p. 664.

d) Vid. *Genealog. Archivar.* 1734. p. 450.

Cancellarius, qui MDCCXLV. Ordinum Sanctae Annae, & deinceps Sancti Alexandri Newsky, signis, condecorabatur.

§. XXIII.

Absoluto jam opere in recensendis Ordinibus equestribus antiquissimis, pariter & iis, qui Regibus originem suam debent; medicisque interdum in ornamentum dati fuere: celebris ille Ordo considerandus venit, qui ab instituti origine, electoralis quidem audit, sed regio a sceptro, maximum celebritaris atque splendoris sui, incrementum adeptus fuit. Hic est ille Ordo, qui a Generositate nomen habet. Fridericus nimirum primus, Borussorum Rex, adhuc Princeps juventutis, in gratiam eorum, quos intimioris suae fidei dignos credebat, vivo adhuc magno suo Parente, Ordinem hunc circa annum MDCLXXXV. sancivit. Statuta illius Ordinis, quantum memini, nunquam publici juris facta sunt. Signum Ordinis erat crux aurea, ad exemplar Melitensis, octangularis, cyaneo colore, opere encaustico tincta. Vocabulum gallicum, *la Generosité* aureis litteris cruci impressum, perpendiculariter & transversim legebatur. In intervallis, quatuor angulorum interiorum crucis, quatuor aquilae aureae nitebant, totaque tessera cum ligamento nigro macerato, a collo pectori superpendens, demittebatur. In medio crucis intervallo littera F. in memoriam conditoris, corona electorali tecta cernebatur. Ex quo tempore Electoralis Regia dignitate aucta fuit, summusque Ordo aquilae nigrae, in Majestatis splendorem instituebatur, Augustissimus Conditor, non solum primum hunc domus suae ordinem sartum tectumque habuit, verum quoque solenni lege sancivit, ne Equites creandi summo Ordine decorarentur, anteaquam per aliquod tempus, Ordinem Generositatis jam gestassent. Hinc Equites Generositatis, ut plurimum se se Equites Ordinis Regii Borussici minoris, appellarunt.

Ordo Generositatis, qui anno MDCCXL. quodammodo abrogatus & in ordinem *Pro Meritis* & praecipue militarem mutatus est, a Rege Friderico I. & Friderico Wilhelmo personis dabatur, munere civili aeque ac militari illustribus, utpote intimis Cubicularibus, primi Ordinis Praefectis bellicis, Consiliariis summis & praecipuis, aliisque intimioris admissionis sanctiorisque fidei Ministris, Legatis & Nobilibus, in monumentum gratiae Principis, fidei ac honoris; numero vero generationum non tam anxie quaesito. Accidit quoque Viro cuidam celeberrimo, Medicorum ex ordine, munerum gravitate ac meritorum amplitudine conspicuo, ut hoc ordine insigniretur. Fuit iste *Fridericus Ludovicus* BONETUS, Genevensis, Theophili BONETI, Medici celeberrimi, Consiliarii & Archiatri Serenissimi Principis Henrici ab Aurelia, Ducis Longavillae cet. filius, Andreae Boneti, Medici Practici Genevensis felicissimi nepos, & Petri Boneti, ibidem Medici & Archiatri Ducis Sabaudiae pronepos, qui quippe omnes non solum quosdam sedis Romanae Cardinales, inter majores suos numerabant, sed & affinitatem cum Pinellis, Spinolis, Savellis, Ursinis, Saburanis, Caracciolis, aliisque illustribus Senatoriis Genuensis Reipublicae familiis, colebant. Matrem habuit *Fridericus Ludovicus* BONETUS, Johannam Spanhemiam, Virorum in orbe litterato clarissimorum Ezechielis & Friderici Spanhemii sororem, ex qua anno MDCLXX. Genevae editus fuit. Majorum ingenio & celebritate incensus, omni studio arti medicae totum se tradidit; Lugduni Batavorum anno MDCXCV. dissertationem inauguralem, de Hydrope ascite, publice defendit, quo gradum & titulum Doctoris Medici rite impetraret. Cum non solum Perillustris Ezechiel *L. B. de* SPANHEIM, splendidis muneribus in aula Brandenburgica fungebatur, quia tunc temporis gravissimae legationes per eum administrabantur; sed & frater nostri Boneti, natu maximus Fridericus BONETUS, bona-

rum litterarum, & praefertim rei nummariae cognitione peritiffimus, per duodecim annos apud Reges Magnae Britanniae Carolum II. Jacobum II. & Vilelmum III. negotia publica Magni Electoris Brandenburgici, Friderici Vilelmi & Friderici III. fummo cum honore eximiaque laude tractaret, accidit, ut eidem nofter *Fridericus Ludovicus* Bonetus fuccederet, cui Oratoris pro Sereniffimo ac Potentiffimo Friderico I. Boruffiae Rege munus, in aula Magnae Britanniae, cum titulo Refidentis, & poftea Legati ordinarii deferebatur. Non folum merita quae eodem hoc munere fuerat confecutus, fed eruditionis quoque fama tanta fuerunt, ut non folum Membris Societatis Regiae Scientiarum Londinenfis & Berolinenfis, fed & Societatis de propaganda fide in Anglia celebris, imo & an. MDCCI. Doctorum Juris Oxonienfium coetui annumeraretur. Ubi deinceps Rex Boruflorum Fridericus Vilelmus, paterno regno potiebatur, Boneti munera & honores femel tributi non tantum confirmabantur, fed & Ordinis Generofitatis Eques, anno MDCCXVI. creatus eft. Sequenti vero anno Rex, noftro Clementiffimus, Confiliarii intimi atque legati extraordinarii munus & titulum fuperaddidit. Pofteaquam per XXIII. annos Refidentis & Oratoris Brandenburgici muneri, in aula Londinenfi praefuiffet, oblatum legati in Sueciam munus quantumvis fubmiffe recufans, annuente Rege, in patriam reverfus eft. Nihilo tamen minus Regis gratiam, nulla parte deminutam, fervavit ac retinuit. Finita enim legatione, Rex patrinus filii ipfius effe voluit, & Bonetum ipfiusque liberos, heredes omnesque & fingulos ab illis legitime defcendentes in infinitum, folemni diplomate verbis: Nobiles, Tornearios, regnique Boruffici vafallos declaravit, ita ut equeftris dignitatis capaces, nobilium praedictorum numero atque confortio adfcriberentur. Ipfum hoc diploma regium, rationes facti hujus addit; verbis nimirum: ob grata obfequia atque officia utilia, fidelia & inde-

fessa ab ipso, cum munus legati nostri ordinarii in Anglia per plurimorum annorum decursum gereret, summa fide, industria, prudentia & fidelitate, Nobis & Divo Parenti navata."

Post illud tempus Rex quoque multis aliis singularis suae benignitatis atque existimationis documentis, BONETUM nostrum mactavit. Patria non minus civis revertentis merita, agnovit, dum anno MDCCXXI. eundem senatoria dignitate ornavit, cui decennio peracto, grave & spectatissimum munus Syndici Reipublicae Genevensis additum fuit. Ubi tamen provectior aetas vitae vires fregit, ab omnibus negotiis publicis abstinuit, tandemque senio confectus, anno aetatis XCII. absoluto, mense Aprilis MDCCLXII. hunc mundum deseruit. Vitam viri hujus clarissimi, in Biographis communibus, huc usque frustra quaesitam, collegi *e)*, fusiusque descripsi. Silentio hac occasione praetermittere nequeo, nummum quendam memorialem, a C. Wermuth Gothano nummorum caelatore, conflatum. Is in adversa, effigiem Friderici Vilelmi, Principis heredis Regni Borussici, refert, in aversa vero eorum Principum, & procerum meminit, qui anno MDCCVI. titulo Doctoris Juris, publice insigniti sunt, in solennitatibus istis publicis, ab Academia Oxoniensi, in honorem Seculi secundi, a condita Academia Francofurtana sive Viadrina, feliciter peracti, celebratis. Inter hos Princeps juventutis, Fridericus Vilelmus, antesignanus est, sequuntur Dux de Bedford, Comes de Plymouth, L. B. de Spanheim & alii, inter quos etiam quidam *Dom. Bonet Eques Baronet*, vocatur. Nullum est dubium, vel nostrum, vel Fridericum Bonetum, ejus fratrem natu majorem, hic intelligi; sed de titulo equitis Baronetti, cuidam

e) Io. Iac. MANGETI Bibliotheca scriptorum medicorum, veterum & recentiorum. Genevae 1731. fol. T. I. Part. I. p. 354. in vita Theophili Boneti. *Fortgesetzte Neue Geneal. Historische Nachrichten. Th. LIV.* 1766. *p.* 387.

cuidam Boneto collato, nullibi legi, & eum in Catalogo Baronettorum, quem Miegius libro ſupra §. XVIII. citato edidit, fruſtra quaeſivi. Neque in Theſauro numiſmatum modernorum, nec in Gutheri vita Friderici I. ubi ejus delineatio aeri inciſa cernitur, quis ille ſit Bonetus explicatur. Illuſtris ille Sedinenſis Doctor, & Profeſſor juris, *I. C. C.* OELRICHS, qui multis ſcriptis & nominibus, gloriam in orbe erudito ſibi comparavit, ac quocum vetus conſuetudo mihi intercedit, nodum hunc, ut ſpero, feliciſſime ſolvet; cum varias epiſtolas Perilluſtris Spanhemii, & cujusdam Boneti, in ſcrinio ſuo litterario poſſidet, quas cum republica litteraria ſe communicaturum, nuper promiſit, in ſcripto quodam pereleganti, DE FRIDERICO VILELMO BORUSSORUM REGE, *cet. Doctore juris ex nummo.* Quod ea occaſione edidit, cum Academiae Kilonienſi MDCCLXV. de primo jubilaeo gratularetur.

§. XXIV.

Illuſtris BONETI conditio & munus occaſionem mihi praebet, ut in fine hujus Commentationis adhuc quaedam momenta in honorem medicorum adjiciam. Unicum enim exemplum BONETUS non exhibet, medici Legati munere ornati. Nam eodem fere tempore, & initio adhuc hujus ſeculi, celebris *Chriſtianus Conſtantinus* RUMPF, Medicinae Doctor, ſpartam eandem a Foederati Belgii Republica, ſibi demandatam; in aula Suecica, per multos annos, ſingulari cum laude, tenuit. De hoc Biographi Medicorum communes, nil plane memoriae prodiderunt; hinc ea quae de illo novi, ſubjiciam. Natus erat Hagae Batavorum anno MDCXXXIII. & pater ejus, quantum ſcio, *Chriſtianus Rumpſius*, Laſphenſis, Sereniſſimi Regis Bohemiae & Celſiſſimi Arauſionenſis Principis Archiater fuit; qui in caſtris Foederati Belgii anno MDCXLV. aetatisque ſexageſimo quinto, diem obiit ſupremum. Titulus aeque ac fata

memo-

memorata, ex icone ejus ab Henrico Danckers aere expressa mihi innotuerunt. *Christianus Constantinus* Rumpfius, posteaquam gradum Doctoris obtinuit, legationi summorum Ordinum Foederati Belgii in Galliam, per septendecim annos ab epistolis secretis fuit, eodemque in loco, arcanis negotiis, Principis Arausionensis, Administri nomine, praefuit. Hoc munere licet fungeretur, studio tamen medico vacare non desiit; dum Parisiis anno MDCLXVI. I. A. Schmitzii *Compendium Medicinae practicae* edidit. Quod scriptum Maecenati suo, Legato Summorum Statuum Reipublicae Belgicae ordinario, Vilelmo Borellio, magnae famae Politico, qui per sedecim annos in Galliam, & antea in Britanniam, Daniam & Sueciam legatus missus fuerat, dicavit. Additae inveniuntur, in laudem operis, epistolae & carmina doctissimorum sui temporis virorum, Vassorii, Nicolai Heinsii, Stephani Laurentii, Caroli Drelincourtii & Antonii Menjotii, juncto testimonio honorifico, Facultatis Medicae Parisinae. Secunda editio anno MDCLXXII. eodem in loco apparuit, quam adhuc aliae, Amstelodamensis nimirum & Geneuensis, secutae sunt. Anno MDCLXXIV. ipse a Summis Ordinibus Statuum Foederati Belgii, legatus in Sueciam mittebatur, cum paulo ante ad idem munus in Lusitaniam obeundum, jam designatus erat. In aula Suecica degens, statim ab initio susceptae legationis, tantam sibi conciliaverat fidem, ut, licet mox grave bellum & acre, inter Suecos & Batavos exoriretur, quod cum subditorum utriusque regni bonorum confiscatione suscipiebatur, Rumpfio nihilominus concederetur, ut Holmiae morari posset. Procerum suorum commodis, adeo prospicere, suamque in negotiis politicis tractandis, scientiam acquisitam, tanta cum utilitate suorum impendere valebat, ut anno MDCLXXIX. pacis & commerciorum foedus proficuum pangeret, validumque redderet. Cum Rumpfius omnibus se insigni prudentia & exer-

exercitatione in rebus gerendis & praecipue in re tam difficili, probaret; factum esse opinor, ut durante adhuc bello, Arwidius Karlsteen, famigeratissimus regni Sueciae numismatum caelator, numisma in nostri laudati memoriam excuderet. In facie numismatis adversa, effigies illius, pectus ad usque, cernitur litteris inscriptis: *C. C. Rumpf. M. D. Foe. Belg. Abl. Ordi. Ap. S. S. R.* i. e. *Medicinae Doctor, Foederati Belgii Ablegatus ordinarius apud Serenissimum Sueciae Regem.* Inferiori in parte: *Karlsteen.* Averso in latere manus e nubibus proveniens conspicitur, quae annulum, cui adamas pergrandis inclusus est, super ardentis ligni focum, tenet. Inscriptae leguntur litterae: *In adversis constantia vincit:* & infra habetur annus excusi typi 1677. Quo emblemate sine dubio constantiam ejus in intricatissimo vel molestissimo rerum statu indicare voluit. Descriptum quoque reperitur hoc numisma, apud Loonium *f).* Aliud mihi quoque est numisma minoris formae, rarissimum & aeque artificiosissime caelatum ejusdem artificis, quantum memini, neque a Loonio neque alio quodam descriptum. Adversa pari modo pectore tenus, effigiem ejus refert, sinistrorsum spectantem, inscriptae leguntur litterae: *C. Cons. Rumpf. M. D. aet.* 48. *A.* 1681. Inferiore in parte Karlstenii nomen in monogrammate *A. K.* legitur. In aversa ex Horatio *g)* sequentia leguntur verba: *Quid aeternis minorem consiliis animum fatigas. Horat.* quae binis ramis laureis inclusa sunt. Rumpfius famae & artificio Karlsteinii multum augmenti addidit, eo nimirum, quod non solum numismata paravit exquisitissima, praecipue illa, quae celebris Gallorum numismatum caelator, *Varin*, artificiose caelavit; quo Karlsteinio politissima arte perfecta exemplaria ad imita-

f) G. van Loon Histoire metallique des Pays Bas. T. III. p. 133 sq.
g) Horat. Carm. L. II. Od. XI.

imitandum proponeret, qui praecipue Varinium vel aemulari vel praecellere ſtuduit: nec minus RUMPFIUS, conſiliis & eruditione ſua, ſaepe Karlſteinium, in numiſmatum & monetarum inventione, adjuvit. Res igitur a veritate non prorſus aliena eſſe videtur, quod KARLSTEINIUS in gratitudinis teſſeram, etiam hoc numiſmate ejus memoriam conſervare voluit. Quodſi mihi tempus concederetur, ut opus meum de Nummis in Medicorum honorem cuſis, edere poſſem, plura de RUMPFIO, aeque ac de hiſce numiſmatibus, in ejus memoriam expreſſis, adderem. RUMPFIUS fato ceſſit Holmiae *h)*, anno MDCCVI. munere legati adhuc fungens, ibidemque, ſplendida funebri cum pompa terrae mandatus fuit. Filius ejus Henricus Vilelmus RUMPF, cujus in honorem Hedlingerus bina numiſmata elegantis formae elaboravit, patrem titulo Reſidentis in Suecia ſequebatur, & alter filiorum Carolus RUMPFIUS, natu minimus, eodem munere in Aula Regia Boruſſica, hic Berolini per aliquod tempus fungebatur. Nec plura exempla de Medicis legatorum ſparta ornatis, tam antiquioris quam recentioris aevi, deſunt. Si vel tacere vellem, quod Imperator Iuſtinianus medicum ſuum ad Regem Perſarum Coſroem miſerit; teſte Beverovicio *i)* in Encomio medicinae, qui hoc e Procopio refert: notatu tamen digna res eſt, quod aeque ab Imperatoribus Turcarum, Medici legatorum nomine, in aulas Principum Europaeorum & ab his iterum in aulam Imperii Turcici, ſaepe miſſi fuerint. Idem Beverovicius memoriae prodidit, *Bartholomaeum* CORDUM Medicum, a Turcarum Imperatore, ſuo nomine ad

Regem

h) Plura de Rumpfio vid. apud Ger. de LOON l. c. T. III. p. 133. 203. ſeq. 235. T. V. p. 40. 41. KOEHLERS Münz-Beluſtig. T. IX. p. 109. Holmia litterata edit. 1701. p. 89.

i) Adjunctum eſt Encomium Medicinae, ejusdem BEVEROVICII Epiſtolicis Quaeſtionibus Roterod. MDCXLIV. editis Vid Encom. p. 49.

Regem Galliae Henricum IV. fuisse delegatum. Contra de Medico *Horatio* CURIONE, celeberrimi Coelii Secundi Curionis filio constat, quod non solum Imperator Ferdinandus, ejusdemque filius Maximilianus, illius consilio in negotiis arcanioribus usi fuerint, verum quoque quod instar legati Byzantium mitteretur, & cum illo in munere constitutus, fato fungeretur; jubente Caesare Maximiliano, in illius memoriam Basileae epitaphium erectum fuit *k)*. Aula quoque Britannica munus legati in aulam Turcicam, medico demandavit, *Johannes* enim FINCH, Medicinae Doctor, qui ab anno MDCLX. nomine regni Anglici, officio Residentis in aula Magni Hetruriae Ducis fungebatur, anno MDCLXXII. tanquam legatus Constantinopolin denuo missus fuit *l)*. Imperator Solimannus tertius hujus nominis, celeberrimum *Alexandrum* MAUROCORDATUM anno MDCLXXXVIII. tanquam legatum secundum ad Imperatorem Leopoldum misit, quo nunciaret, Solimannum ad regni gubernacula accessisse, simul & de ineunda pace nonnulla eidem proponeret: Eodem MAUROCORDATO, iterum titulo legati secundi, Solimannus in condenda pace Carlovitziana anno MDCXCIX. usus fuit. Quod ad negotia gerenda factus, & in opere legationis suae felix fuerit, e favore & gratia, ab utroque Imperatorum illi exhibita, patet. Imperator Leopoldus eidem summam viginti quinque millium thalerorum, ac e Bibliotheca Vindobonensi, Corpus Historiae Bizantinae, dono dedit. Ab Imperatore autem Solimanno id obtinuit, ut per totum vitae suae tempus, honorarium illud, quo durante pacis negotio mactatus fuerat, servaret, superaddito Excellentissimi, titulo. Hujus MAUROCORDATI tanta sunt merita,

n 2 ut

k) v. SCHELHORNII Amoenitates litterarias. T. XIV. p. 370.

l) G. MATTHIAE Conspectus Historiae Medicorum chronolog. p. 899.

ut de illo adhuc quaedam afferre *m)*, necesse credamus. Natione, item religione, graecus fuit, e nobili & generosa quidem sed indigente stirpe, in Insula Chio ortus. Pater vero fortunam in matrimonio feliciter periclitatus est. Duxerat enim uxorem divitem heredem e familia generosa Scarlati, quae quippe domus in terris Italiae & Graeciae late se diffudit. Haec antea Principi Valachiae, Mattheo desponsata fuerat, cum vero mox ante tempus consummandi matrimonii, a variolis valde lacerata fuisset, oculum perdidisset, & admodum deformis facta, Princeps Valachiae conventis stare nolebat, & Maurocordatus pater, locupletem sponsam occupabat. Filius ex hoc matrimonio natus, *Alexander* MAUROCORDATUS noster in studia incubuit, & initio Romae in urbano Graecorum collegio, deinde in Academia Patavina, per quindecim annos, artem medicam excoluit, a Bononiensi vero Musarum sede, Doctoris Medicinae atque Philosophiae gradum impetravit, posteaquam Patavii amplissima jamjam documenta eruditionis ac ingenii sui prodidisset. Quia vero fovere seditiones hisque primipilum se praebere solitus esset, jam proximus doctrinae reportandis praemiis, publico decreto exilium meruit & Bononiam proficisci coactus est. In patriam suam revertens, morbis felicissimo cum successu medebatur, donec Constantinopolin evocabatur, ubi in schola graeca, quae patriarchalis vocatur, medicinam atque philosophiam publice docebat, simul vero & summo cum

m) Alexandri MAUROCORDATI vitam congessimus ex Nicolai COMNENI Papadopoli, Historia Patavina T. II. fol. Venet. 1726. p. 319. *Demetrii* CANTEMIRS, Fürsten in der Moldau, *Geschichte des Osmannischen Reichs*, Hamb. 1745. p. 577 seq. *Allgemeine Chronick*, T. XVI. p. 913. TOURNEFORT Relation d'un Voyage du Levant T. II. p. 238. J. SPONS *Reisen* L. 2. in fine. Demetrii PROCOPII Succincta eruditorum graecorum superioris & praesentis Seculi recensio.

cum applauſu, ipſam artem medicam medendo morbis, exercebat. Forma ejus admodum decora, ſcientia ejus ſingularis in ipſa arte medica, eximia qua gaudebat, linguarum cognitio & experientia in rebus praecipue, quae ad arcana politica Statuum Europaeorum attinent, efficiebant, ut anno circiter MDCLXXVII. Interpretis munere potiretur; deinceps vero locum, inter Interpretes regni Supremum, & tandem ſtatus Adminiſtri, grave munus nanciſcebatur, ſalva religione ſua, ad quam mutandam haud coactus fuit. Cum anno MDCLXXXIII. Summus praetoriae & militiae in imperio Turcico Praefectus, Cara Muſtapha laqueo damnaretur, & inſignis rerum mutatio contingeret, Maurocordatus noſter in carcerem dejectus fuit, diraque in illo paſſus, & more Turcico, una cum libertate, omnium bonorum jacturam fecit. Simulac vero Imperator Solimannus III. thronum conſcenderet, non ſolum priſtina munera & dignitates amiſſas recuperavit, ſed & pace Carlovizenſi condita, titulo Cuſtodis arcanorum inſigniebatur; quo quippe titulo, ad tantum honoris faſtigium excrevit, ut a Principibus Moldaviae & Valachiae, nec minus a reliquis Chriſtianis, imperioque Turcico ſubjectis, Sereniſſimi titulum poſcere, eumque gerere poſſet; teſte Moldaviae Principe Demetrio Cantemirio, in Hiſtoria ſua regni Ottomannici. Obiit referente eodem anno MDCCIX. quo cum Demetrius Procopius *n)* in Succincta eruditorum Graecorum, Superioris & Praeſentis Seculi Recenſione, convenit. Rector ſcholae graecae Conſtantinopolitanae Jacobus Monas, olim liberorum ejus inſtitutioni praefectus, funebri illum oratione laudavit. Scholam & Maurocordatus Conſtantinopoli inſtituit, ne tempore interjecto, graeca prorſus eruditio interiret, ac evaneſceret,

 quem

n) Demetrii Procopii Opuſculum inſertum eſt Tom. XI. Bibliothecae Graecae cel. Fabricii p. 769. ſeqq.

quem in finem ut juvenes bonarum artium cupidi, in omni ſcientiarum & doctrinae genere inſtruerentur, curavit, nullisque ſumtibus pepercit. Liberos habuit, poſt fata ſuperſtites, filiorum par, Nicolaum & Johannem, binasque filias, immenſarum opum ſuarum heredes. Fuit illi tertius quoque natus, cui nomen erat Scarlatus, aulae Valachicae Archipincerna, Principis Valachiae Conſtantini Branckowanni gener. Hic herede nullo relicto, patre prior mortuus eſt. Nicolaus primum aulae Turcicae Supremus interpres factus, ſtatim poſt obitum patris, principatu Moldaviae & MDCCXVI. Walachiae potitus, illiusque Deſpota declaratus fuit, & in aula Turcica, ab initio multum valuit. Johannes interpretum Superior, ob morum elegantiam ſummam inſigni honore mactatus fuit, & cum frater illius Nicolaus anno MDCCXVI. vel ob commercium litterarium illicitum, vel ex alia cauſa, e ſede ſua Buchareſt, captivus deducebatur, Turcarum Imperator hujus loco Johannem durante captivitatis tempore, regno praefecit. Verum mox imperii clavum hic reddere cogebatur, ſimulac fratri Nicolao, vi pacis Paſſarowitzenſis, dignitas amiſſa reſtituebatur. Ioecherus & alii quidem memoriae prodiderunt, *Alexandrum* quoque MAUROCORDATUM, Valachiae principatu potitum fuiſſe; ſed neque a Cantemirio, neque a Procopio, quorum utrumque tamen rei veritas haud latere potuit, horum aliquid proditum fuit. Scriptorum Maurocordati hiſtoricorum, philoſophicorum atque politicorum titulos, Ioecherus in Lexico eruditorum generali recenſet; medicis annumeratur ſcriptis, Pneumaticum circulandi ſanguinis inſtrumentum, ſive de motu & uſu pulmonum, opus primum Francofurti MDCLXV. & deinceps Lipſiae MDCLXXXII. editum. *Sponius* in concinnando hoc opere, plagii illum quodammodo arguit, & teſte Nicolao *Comneno*, ipſe *Maurocordatus* hoc ſcriptum niſus eſt abolere. Ioecherus e titulo bipartito

hujus

hujus libri, bina scripta separata fingit; sed ipse hunc librum possidens indicare valeo, quod Operis dedicatio ad Magnum Hetruriae Ducem Ferdinandum II. directa, annum MDCLXIV. referat, quo Bononiae apparuit, ipseque se Constantinopolitanum philosophiae ac medicinae Doctorem profiteatur. Prostat & de illo Epistola quaedam *o)*, mira comitate nitens, anno MDCLXXXIV. ex agro Vindobonensi, ad celeberrimum G. W. Wedelium data, de Potus genere Turcico, Maslack dicto, quae quippe epistola, eruditionem ejus in linguis orientalibus probat.

Haec de Medicis legatis dixisse sufficiant. Patet eos praecipue in iis regionibus hoc munere functos esse, ubi officia non tam conditionis & generis respectu, quam meritorum numeri distribuuntur. Possem quidem adhuc de filio Antonii Musae Brassavolae, cujus mentio §. XII. facta est, *Hieronymo* scilicet BRASSAVOLA, Archiatro Ducum Ferrariae & Mantuae, nonnulla hoc loco afferere, cum ab Alphonso Duce Ferrariensi, ad Regem Galliae, summosque alios Principes, Oratoris cum titulo & munere missus sit; porro & quendam POLIKALAM, adducere valerem, Medicum Graecum, qui a Russorum Imperatore Petro Magno, ad Principem Moldaviae Cantemirium legatus mittebatur, cum conditionibus admodum proficuis; sed singula quae huc pertinent, prolixiori opere conscribere, nec animus mihi est, nec tempus conceditur. Verum tamen unum adhuc exemplum, legationis verae cujusdam medicae, silentio praeterire nequeo, quod in Archiatro Imperatoris Leopoldi, *Nicolao Vilelmo Beckero*, postea Lib. Barone *de* WALLHORN dicto, contigit, & de summa Imperatoris Leopoldi in Archiatrum suum fide, testimonium praebet. Siquidem nemini non patet, quod

o) v. Georg. Wolfg. WEDELII Exercit. Medico-philolog. Dec. V. in praef.

quod dictus Imperator eruditos aeque ac praecipue medicos Germaniae, multis iisdemque non vulgaribus praemiis, exhibitoque summo favore suo, excitare solitus fuerit. Cum Imperator ad vota tertia transire decrevisset, & uxorem quaereret secundam, Beckerum in diversas Principum Germanorum atque Italorum aulas mittebat, ut talem seligeret, quae respectu formae corporis, fecunditatis & virtutum animi, sibi conveniret. Beckero Neoburgensis Palatini Principis filia, caeteris omnibus praestare videbatur, eamque Imperatori ob formae elegantiam, virtutem, & pietatem, quam maxime commendabat, notasque fecunditatis ex physionomia & aspectu in eadem se reperisse putabat. Fiducia quam Imperator in archiatro suo habebat, singulaeque hae laudes, Imperatoris mentem eo flectebant, ut illam matrimonio sibi jungeret, exoptatusque rei eventus praesagium Beckeri verum reddidit *p)*.

§. XXV.

In eorum usum & gratiam, qui in historia litteraria parum versati sunt, quibusve prorsus aliena atque inaudita res esse videretur, quando legunt, Medicos interdum ad negotia politica esse adhibitos, vel si insolitis alioquin huic Facultati honorum titulis, muneribus, dignitatibus, opibusque eos fuisse ornatos percipiunt, nonnulla exempla quae dicta illustrant, tam ex antiquiori quam recentiori historia adducam. Datur vero ejusmodi exemplorum numerus tanto copiosior, quanto facilius Medici ob artem quam exercent salutarem, occasionem, summis in orbe terrarum viris innotescendi, nancifcuntur. Nec minus praestita fide in artis exercitio & dexteritate sua, non solum in fiduciam & familiaritatem magnatum & principum saepe recipiuntur, sed & animi ingeniique sui dotes, eorum acumini subjicere, quin & efficere possunt, ut dignum his pretium

p) v. *Ludolphs* Schaubühne der Welt. V. Theil p. 161.

pretium ſtatuatur, id quod reliqua ſcientiarum genera, non ſemper aeque facile largiuntur. Hinc talis praerogativa merito & illis incitamentis accenſetur, quae ingenia acuta, addiſcendisque ſcientiis apta, invitare valent, ut artis medicae ſtudium prae aliis eligant, & in illo eminere ſtudeant. Hac occaſione, ut vim hujus argumenti exemplo monſtrare, & a themate paululum ſecedere liceat, veniam rogo. Ex numero multorum, *Caroli* PATINI exemplum notatu dignum nobis occurrit. Celebri Vito Patino bini fuere filii, quorum alter natu major Robertus, artis medicae peritus fuit, natu minor vero, quamvis eodem artis genere haud parum delectaretur, deſiderante id patruo ſene, jurisprudentiae operam navavit; qua in doctrina quoque tantum profecit, ut non ſolum cum laude, maximum dignitatis gradum in illa conſequeretur, ſed & cauſarum patronus in ſummo tribunali Pariſienſi, publica autoritate conſtitutus fuerit. Cum vero deinceps res Roberti Patini ex voto parentis haud cederent *q)*, filius aetate minor Carolus Patinus a patre admonitus fuit, ut Themidos caſtra deſerendo, medicinae ſe traderet. Patrem equidem haud fugiebant obſtacula, quae filius Carolus objicere poſſet; utpote, quod in juris ſtudio tractando ſexennalem operam jamjam collocaſſet; ſiquidem in eo erat, ut vitae ſuae alimenta inde perciperet, nunc vero oleum, quod ajunt, cum opera ſimul perdere, novoque artis generi a principiis incumbere cogebatur. Vitus ergo Patinus argumentis opus habebat validiſſimis *r)*, quae difficultates, quibus haec mutatio premebatur, tollere valerent; hinc primo loco omne ingratum quod juris ſcientia ſecum haberet, explicabat, oſtendebatque, quam ardui laboris futurum eſſet nego-

q) Lettres choiſies de Guy PATIN. à Paris 1688. p. 420. p. 361.

r) v. Lyceum Patavinum per Carol. PATINUM. Patavii MDCLXXXII. pag. 84.

negotium usque dum munus proficuum obtineret. Tunc quoque Michaelis MARESCOTI, dum viveret, Decani in Facultate medica Parifienfi, & inter Medicos Henrici IV. Regis quondam primi, aptus ad hoc fermo menti fuccurrebat. Is enim quo gratum erga artem medicam animum oftenderet, fe arti falutari tria potiffimum debere, profeffus eft; quorum copia nulla fibi unquam facta fuiffet, fi, quod pater volebat ad confequendum munus ecclefiae litteris eo fpectantibus mentem adornaffet. Scientiae enim Appollineae, primo fanitatem corporis fere athleticam, usque ad aetatis fuae annum octogefimum fecundum fe debere; fecundo eadem arte & diligentia fua, centum aureorum millia fibi paraffe: denique principum & innumerorum illuftrium virorum amicitiam & familiaritatem, fibi contraxiffe, quod fieri non potuiffet, nifi medicus factus effet. His rationibus a Marefcotto mutuatis, Vitus Patinus filium feliciffime vincebat, convincebatque. Carolus PATINUS fummo cum ardore, fcientiae medicae vacabat, haud neglecto tamen illo litterarum genere, cui admodum favebat, nimirum antiquitatis & rei numifmaticae ftudio: res quoque adeo feliciter fuccedebat, ut in numero Profefforum Patavinorum primus, & *Ordinis Sti Marci Eques* diceretur, cum diem fupremum obiret. Ad aetatem quidem Marefcotti non pervenit, nam anno fexagefimo aetatis mortuus eft, fed duas filias praeclara eruditione & doctrina ornatas reliquit, nec minus opes non exiguas, quae excepto numifmatum immenfo thefauro, centum millium thalerorum fummam fuperarunt. Cum doctiffimis fui temporis principibus, variis fummarum rerum publicarum adminiftris, virisque fere omnibus, doctrinae fama notiffimis, amicitiam coluit & fervavit. De his omnibus Biographi prolixiorem in modum commentati funt.

Rationes Marefcotti ad perfuadendum, a Vito Patino adductae, omnino tales funt, quae juvenum animos excitare

valent,

valent, ut arti salutari integro cum ardore operam impendant, magisque delectabunt iis, quam quae illustris BOERHAVII animum *s)* excitaverunt, ut ad medicae artis studium se conferret. BOERHAVIUM pater studio theologico mancipaverat; ulcus quoddam malignum valde dolens, & femur laevum depascens, medicinam ac chirurgiam pertinaciter elidebat, puerum tamen eo adducebat ut hac occasione, proprio dolore coactus, primum de studio artis medicae cogitaret. Malae rei sane bonus fuit & felix eventus, scientiae nostrae valde proficuus. Neminem enim fugit, quantum viro huic magno tota ars medica debeat. Causae moventes ad amplectendum studium medicum, in BOERHAVIO & PATINO admodum diversae sunt; uterque tamen justis ardoris sui praemiis haud caruit. Quae fuerit posterioris fortuna, jam supra indicavi, neque Boerhavius habuit, quod de artis medicae ingratitudine quereretur. Decessit cum cultu & aestimatione principum, magnorumque virorum fere omnium, praecipue autem cum luctu planctuque medicorum, quotquot doctrinae suae pondus aestimare noverunt. Nec opum decessit egens, cum nonnulli facultatum ipsius vim, decies centena millia thalerorum superasse, contendant.

Occasio antedicta, quae medicis datur, ut principibus & magnatibus innotescant, effecit, ut hi, cognitis & perspectis ingenii eorum viribus, ex usu & consuetudine cum illis celebrata, interdum illos muneribus praefecerint; in quibus exequendis non nuda rerum medicarum scientia, sed potius ingenii perspicacitas, mentis exercitium maturatum, justumque judicium requiritur: idque eo facilius, cum ipsi principes fidem, dexteritatem, & mores illorum, intimiori aditu & consuetudine diuturna, dignoscere valuerunt. Antiquissimi rerum

s) v. Oraison funébre en memoire du grand *Herrmann* BOERHAVE par Albert *Schultens*, a Leide 1739. p. 8.

ſcriptores, imo omnium fere gentium Hiſtorici, multa exempla hac de re prodiderunt. Apud Antiochum Syriae Regem, Apollophanes medicus, primi adminiſtri ſtatus munere, functus fuit; cujus quippe conſilio Rex in caſibus maxime nodoſis & arduis, negotiisque ad ſtatum reipublicae pertinentibus utebatur, qua de re Polybius *t)* exempla notatu digna refert. Ante hujus jam tempora Darius Perſarum rex Democedem medicum graecae originis *u)* in bello captum, qui claudicantem ex luxato pede regem reſtituerat, non tantum multo auro donavit, ſed & ſplendidiſſimas aedes Suſis inhabitandas dedit, praeterea quoque Rex ut menſae ipſius ſemper accumberet, voluit; quae quippe praerogativa non niſi maximis in bello praefectis, regnique ac ſtatus adminiſtris vel Satrapis dabatur.

Neque raro fieri ſolitum eſt apud Graecos, ut Medici muneribus altioribus praeficerentur, iisdemque a regibus inſignis honor & amicitia tribueretur. Repetere, & hoc loco adducere poſſem, exempla ex Homero quaeſita, ex quibus apparet, quod inter Heroes ac Medicos maxima olim amicitia interceſſerit, cum partim Heroes & Reges Graeci, ut Achilles, Patroclus, Ariſtaeus, Telamon, Jaſon, multique alii artem medicam callebant, & exercebant, quin & ipſi Medici, ut Machaon & Podalyrius, Aeſculapii filii, in bello Trojano aeque heroum ac medicorum factis inclaruerunt, ſiquidem ex Hygini fabula CVIII. patet, quod Machaon cum Ulyſſe, Menelao, Diomede, Neoptolemo, & aliis in equo Trojano ligneo a civibus Trois intra urbem deducto, occultus jacuerit. Sed modo maximum inter heroes graecos Alexandrum Magnum, hoc loco adducere placet, hic enim teſte Plutarcho *x)* non ſolum rei

t) Hiſtor. L. V. C. LVI. LVIII.

u) Herodotus lib. II. 93. 94.

x) in Alexandro C. XIII. it. C. LXXIV.

rei medicae ſtudioſus fuit, ſed & amicis aegrotantibus medicinam fecit, curandique & victus quasdam rationes praeſcripſit. Mirum vero non eſt, quod hoc ſtudio delectatus ſit, cum non ſolum Ariſtotelem habuit praeceptorem, & Philippum Acarnanum medicum, qui a teneris eum eduxit. Q. Curtius rerum geſtarum Alexandri M. Scriptor uberius haec explicavit verbis ſequentibus *y)*: „Erat inter nobiles medicos e Macedonia regem „ſecutus Philippus natione Acarnanes, fidus admodum regi, „puero comes & cuſtos ſalutis datus, quem non modo ut re„gem, ſed etiam ut alumnum, eximia caritate diligebat cet." Hic idem ille PHILIPPUS fuit, qui ut omnibus notum eſt, efficaciſſimum Alexandro in morbi curatione, exhibuit remedium, & de eodem quam optime meruit, hinc & pro fide qua ſe Alexandro commendaverat, rex illum adeo in amore habuit, ut non ſolum adverſus quaecunque ſiniſtrae famae tela, in medicum ſuum directa, perquam generoſo modo eundem tueretur, & PHILIPPUM tradente DIODORO *z)* ſingularis & praecipuae amicitiae ſibi ſocium, & in rebus quam maxime arduis conſiliarium jungeret. Auguſtus M. ARTORIUM Medicum, amicis & familiaribus ſuis accenſebat. C. TACITUS *a)* EUDEMUM Liviae Auguſtae amicum & medicum praedicat. Idem hic ſcriptor *b)* de CHARICLE medico atque Tiberio familiari, verbis ſequentibus refert: „Erat medicus arte inſignis, nomine Charicles, non „quidem regere valetudines principis, conſilii tamen copiam „praebere ſolitus, cet."

Haec aliaque exempla quamplurima, quod antiquis temporibus ſaepe medici Imperatoribus, Regibus, magnisque prin-

 cipibus

y) Lib. III. c. VI. §. I.

z) DIODORUS Siculus L. XVII. C. XXXI.

a) In Annalib. Lib. IV. C. III.

b) Ibid. L. VI. C. L. item SUETONIUS in Tiberio C. LXXII.

cipibus a confiliis, ftatibusque fuis tanquam Adminiftri praefecti, quin & amici atque familiares fuerint, I. H. Meibomius in Commentario ad Caffiodori Formulam Comitis Archiatrorum, una cum illis autoribus, quos §. III. lit. m. adduximus, confirmant, copiofoque numero eorum indicem nobis tradiderunt.

Nec media aetas una cum recentiori, ejus generis exemplis deftituitur, quae docent, quod Medici interdum ejusmodi muneribus politicis praefecti fuerint, quae ad regendum imperiorum ftatum pertinent, principumque fide prorfus fingulari faepe digni judicati fint. Quod fi numerum exemplorum, quantus mihi patet, hoc loco recenfere vellem, parvi operis negotium foret, paragraphum praefentem in integram commentationem extendere. Sed hoc cum a meo fcopo prorfus alienum fit, ipfoque tempore exclufus fim, faltim quaedam praecipua exempla, quae primum mentem fubeunt, referam.

In Gallia omni tempore munus Cancellarii magni, & Sigilli majoris regni cuftodis, ad dignitates & munera imperii primi ordinis pertinuit, nec non dignitas primi magiftri libellorum fupplicum ordinarii, antiquiori aevo praecipua & gravi autoritate valebat. Dignitas Magni Cancellarii in Gallia prae caeteris eminet. Magnum regni figillum ab illo cuftoditur, & licet in Gallia potior pars munerum publicorum, certo pretio foluto acquiratur, hoc munus haud venale effe omnibus patet. Poft principes regio fanguine natos, primum tenet locum, illoque honore reliquos omnes regni miniftros antecedit. Praefidis dignitate ac jure gaudet, in quacunque fuprema regni curia, imo & in ipfo ftatus confilio. Poft regem ei a fummis judiciis maximus honor habetur. Quandocunque Rex in Suprema Curia Parifienfi ipfe praefidet, & juri dicundo vacat, Cancellarius locum occupat in fella ad latus finiftrum ante regem pofita. Munere fuo recentiori aevo privari haud folet, & ca-

& capessens munus suum in verba & manus regis jurat. Dignitas haec tempore Regum Galliae tertii generis, ex Capetingorum gente, quo simul summae curiae in Gallia institutae fuerunt, praecipue eminere coepit, suaque semper huic dignitati aevo sequenti aucta & servata fuit autoritas. Ab ipso illo tempore ortum illius muneris, quod a sigillorum regni custodia nomen habuit, repetunt & ipse Sigillorum custos Cancellarii munere tunc fungebatur, quando regnum vel Cancellario morte privaretur, vel ille ob morbum diuturnum munus suum explere nequiret, vel etiam si Cancellarius apud regem in offensa esset, tunc Sigillorum custodi, plurimae quoque cancellariatus praerogativae adhaerebant, & in eum devolvebantur. Ex quibus patet, quod & Facultati medicae in honorem omnino cedat, quando aliquis ex ordine medicorum tam gravi munere aulico aliquando dignatus fuit. *Adam* FUMAEUS, Eques, Dominus de Roches, Saint Quintin, Genille &c. cujus familia tempore insequenti late patuit, & admodum celebris fuit, nonnullosque habuit Melitensium equitum ordine inclytos, non tantum inter Medicos Caroli VII. & Ludovici XI. primus fuit, verum quoque imperante Ludovico XI. anno MCDLXIV. Magister ordinarius libellorum supplicum creatus est, & ad expedienda ardua negotia in Britanniam minorem & anno MCDLXXIX. Burgundiam mittebatur, quae provinciae tunc temporis a Ducibus suis regebantur, imo & aliis in rebus maximi ponderis illius opera & fide, Principes usos fuisse, pro comperto habemus. Mense Augusto anno MCDLXXXV. præeunte *Morerio* in vita FUMAEI, cum Carolus VIII. regno jam potitus esset, ad dignitatem Summi Sigillorum in Gallia Custodis evehebatur, post mortem Cancellarii Vilelmi de Rochefort; & eo nomine officio Cancellarii fungebatur, servato simul munere & reditibus Magistri primi libellorum supplicum, usque ad terminum mortis suae quae anno MCDXCIV. Lugduni

duni Gallorum accidit. Sed notanda mihi hoc loco obveniunt duo momenta, quorum alterum in eo latet, quod *Morerius* in vita FUMAEI Tom. IV. lit. F. annum MCDLXXXV. referat, quo FUMAEUS ſpartam cuſtodiae ſigillorum delatam ingreſſus, cum tamen Tom. III. lit. C. quo loco nimirum Cancellarii Galliae recenſentur, praedicti muneris exordium ab anno MCD-XCIV. derivare velit. Alterum rei momentum in eo verſatur, quando ipſe *Morerius* Tom. IV. deſcribens dignitatem Cuſtodis Sigillorum fatetur, quod ante tempora Ludovici XII. nullum exemplum exſtiterit de Cuſtode Sigillorum peculiari, niſi illo, qui ſimul verus regni Cancellarius fuerit; quod non ſatis ex Hiſtoricis liquet. Quod ad primum vero momentum attinet, legimus in notis & obſervationibus Dionyſii Gothofredi, conſiliarii & hiſtoriographi Regis Galliae, ad hiſtoriam Philippi COMINAEI *c)* quod *Adam* FUMAEUS Primus Magiſter libellorum ſupplicum & Primus Medicus ac Conſiliarius Caroli VII. Ludovici XI. & Caroli VIII jam an. MCDLXXIX. muneri Cuſtodis Sigillorum regni praefectus ſit, remoto Cancellario Petro Doriollio, qui quodammodo gratia Regis exciderat, & Camerae Computorum tanquam primus Praeſes praeponebatur. Officium ſuum FUMAEUS ſecundum Gothofredum, usque ad annum MCDLXXXIII. explevit, quo Vilelmo de Rochefort Cancellarii munus deferebatur, cujus poſt obitum FUMAEUS vel muneri reſtituebatur, vel in ipſa Cancellarii dignitate locabatur, ut quidam Hiſtorici ex inſcriptione publica Montispeſſulana putant. Inſcriptio vero illa Montispeſſulana ſequentis eſt argumenti *d)*: ADAM FUMEE, PATRIA TURONENSIS,

TAM

c) Les Memoires de Meſſire Ph. de COMINES, Seigneur d'Argenton, par Denys *Godefroy*, à la Haye MDCLXXXII. T. II. p. 195. in notis ad Tom. I. p. 337.

d) vid. Franc. Ranchini Opuſcula medica. Lugd. 1627. 4to p. 12.

TAM GRAVITATIS QUAM NOBILITATIS GLORIA INCLYTUM ET CLARUM MEDICINAE DOCTOREM UNIVERSITAS MONTISPESSULANI ALUIT QUI CUM PRIMO CONSILIARIUS MAGISTERQUE REQUESTARUM ORDINARIUS AC MEDICUS PRIMUS CAROLI VII. LUDOVICI XI. ATQUE CAROLI VIII. FRANCORUM REGUM FUIT TANTA PROBITATE EFFULSIT UT FRANCIAE CANCELLARIUS MERITO TANDEM EFFECTUS SIT DUMQUE DIERUM MATURUS ESSET LUGDUNI ANIMAM EXHALAVIT. Ex computis Thesaurarii regii de anno MCDXCIV. liquet, eum sequenti modo in rationibus ejus adduci e): *Messire Adam* FUMEE, *Consiliarius Regis & Magister Requestarum sui hospitii & per ipsum regem commissus ad custodiam sui sigilli in absentia magni ordinati loco defuncti Vilelmi de R*UPEFORTI *nuper Cancellarii Franciæ, ad vadia quæ sunt ab antiquo 2000 librarum per annum, & totidem pro pensione annua, nihil hic, eo quod ab aliquo tempore citra solvuntur de denariis dicti sigilli, sed tamen de suis minutis juribus omnium Sanctorum, Robbæ & Lignorum fit sibi computus & solutio inferius.* Licet FUMAEUS Medicus fuerit, illum tamen suo munere bene functum fuisse, facile mihi persuadeo, ratione illa ductus, quod nemo inter Biographos Caroli VIII. quantum ego memini, de munere isto a FUMAEO male administrato, querelam moveat. Curriculum vitæ FUMAEI, neque in Jœcheri, neque Kestneri, neque in Eloy, aliisque Lexicis Biographicis reperitur; id circo de illo adhuc commemorabo, eundem ex civitate Turonensi ortum esse, patremque habuisse Paulum FUMAEUM gubernatorem Nanneti, qui olim legatus Ludovici XI. ad aulam Romanam fuerat. Urbi Montispessulanæ medicam præstitit operam ibidemque sedem suam fixam aliquando habuit. Rex Carolus VII. eum tanquam medicum sibi junxit, annuoque præmio ter mille quingentarum librarum donavit;

e) vid. Histoire de Charles VIII. Roi de France par Guillaume de Jaligny & André de la Vigne & autres Historiens de ce tems-la, recueillie par Mr. Godefroy a Paris 1684. fol. p. 374.

navit; cum tunc temporis annuum primi medici ſalarium, ſummam mille ducentarum librarum non excederet, ut ex variis comitatus regii Ludovici XI. & Caroli VIII. rationibus & expenſis annuis comperimus, quae per Gothofredum hiſtoriæ Caroli VIII. ſcriptoribus *f)* additæ ſunt. Super addidit præterea Rex Carolus VII. FUMAEO in ſubſidium quater mille, centum viginti quinque librarum ſummam, cum praedium aliquod coemere inſtituerat. Rex Ludovicus XI. qui omnes & ſingulos parentis ſui miniſtros exauctoraverat, FUMAEUM ſibi ſervavit, ut curam ſui coporis ageret. Hinc a veritate alienus eſſe videtur ille rumor, quo venditatur, quod Rex ſingulos archiatros, qui ultimam parenti ſuo medelam attulerunt, multaverit, referente hoc Franciſco la Mothe le Vayer *g)*, una cum Petro Bayle, qui praecipue Ludovicum XI. pejori a latere depingit quam forte meruit, FUMAEUM vero ultimo illo tempore Carolo VII. regi, auxilium medicum non praeſtitiſſe nullibi commemoratur. Ludovicus XI. homines, quorum opera uti vellet, ex eruditione, & naturali ingenii ad omnia dexteritate dijudicabat; neglecto antiqui generis ſplendore, & proſapiae miniſtrorum autoritate. Nam id agebat, ut tam nimis potentes regni ſui principes, quam & alios proceres, quovis modo ſenſim comprimeret, quo facto non male ſucceſſoribus proſpexit. Videtur, Ludovicum XI. FUMAEUM rebus politicis & publicis ab ipſo praepoſitum, ſequenti tempore curae corporis ſui agendae, non mancipaſſe: licet in Indice Archiatrorum Regis Galliae primi ordinis *h)*, nec non in loco Gothofredi modo citato, tanquam archiater Caroli VII. Ludovici XI. & Ca-

f) vid. idem Lib. p. 704.

g) v. Les Oeuvres, à Paris 1654. T. I. p. 21. v. Phil. COMMINAEI Commentariorum Lib. IX. p. 454. ex Verſione Sleidani, edit. 1656.

h) Eſſai hiſtorique ſur la Medicine en France (par Mr. CHOMEL) à Paris MDCCLXII. p. 19.

& Caroli VIII. salutetur. Notus ille Jacobus Cottier, Polygniacensis, e Comitatu Burgundico oriundus, extremo tempore apud Ludovicum solus omni in re valuit, eidemque unice jungebatur; de quo Clarissimus du Clos *i)* judicat, quod Ludovicus XI. terror alioquin inimicorum suorum totiusque Europae cultum sibi vendicans, medico suo tamen in totum fere subjectus fuerit. Cottierius cum Ludovico XI. principe nec mitis sane nec optimi animi, qui ministros non prorsus se ad animum & nutum ejus fingentes & accommodantes, mox dimittere solitus erat *k)*, dire agebat; Rex vero imperium ejus patienter sustinebat, licet teste Cominaeo l. c. alioquin sic ferret ejus consuetudo, ut maximam partem Medicis non obtemperaret. Valde enim Rex mortem, quam Cottierius minitabatur si missionem sibi daret, pertimescebat; & in Cottierio vitae suae praesidium omne collocaverat, iterata saepius vice jubebat: ut ei graves Summae solverentur, multisque insuper ditionibus & officiis eum & propinquos ornabat *l)*. Anno postremo Cotterius menstruum sibi stipendium decem millium

p 2 aureo-

i) du Clos histoire de Louis XI. Amstel. 1746. 8vo. T. II. p. 369.

k) Cominaeus l. & edit. cit. p. 453. & 455.

l) du Clos l. c. Il est porté sur les comptes des tresoriers de l'epargne, que Cottier reçut en moins de huit mois, quatre-vingt-dix-huit-mille écûs. Il fut fait Vice-Président & ensuite prémier Président de la Chambre des Comptes, malgré les remontrances de cette Cour.

Le Roi lui donna les Seigneuries de Rouvré près de Dijon, de Saint Jean de Laune, de Brussay dans le Vicomté d'Aussone, de Saint Germain en Laye, de Triel, la Conciergerie du Palais & toutes les dépendances.

Cominaeus l. c. L. X. p. 469. & p. 472. Medico suo menstruum dabat stipendium, ut supra quoque diximus, decem aureorum millia; nec id modo, verum etiam episcopatum Ambianensem ejus nepoti: & munera publica multa largiebatur ejus propinquis & amicis.

aureorum conſtituerat. In opere ſupra adducto clariſſimi Chomelii, Jacobus COTTERIUS Palatii praefectus primus, ſ. Bailly du Palais & Praeſes Camerae ad exigendas rationes inſtitutae, quae plerumque computationum camera vocatur, nominatus eſt Cum apud principem magna in gratia fuit, minime mirandum, quod ſpartam adeo ſplendidam obtinuerit; neque dubitandum erit, praeſidium camerae, reddendarum rationum, ei valde utile fuiſſe: cum ratione ingentis ſtipendii & aliarum expenſarum quas regi faciebat, monita camerae moderare vel rejicere potuit. De vita ipſius, in editione prima Lexici biographici D. Eloy, nullum fere veſtigium exſtat; in verſione hujus Lexici quae anno MDCCLXI. Neapoli italico idiomate prodiit, autore Auberio, pauca quaedam ſingularia, verum haud obſcura vel ignota continentur. Traditur ibi, COTTERIUM poſt mortem Ludovici XI. ad reſtituenda bona quae acquiſiverat, coactum fuiſſe; qua de re quidem Cominaeus & alii tacent, aſt du Clos refert, illum ob magnam pecuniae vim quam acceperat, quidem compellatum fuiſſe. Verum ab eodem autore affirmatur, quod cauſam ſuam optime defenderit, cum ſoluto pretio quodam ei aeſtimato, quinquaginta ſcilicet millium imperialium; cum reliqua parte acquiſita, ſecure vitam ſuam transegerit. Praeter haec nihil eſt, quod de ſcientia ejus in re medica innotuit. Varia Rex Ludovicus ei commiſit negotia. Cum Rex anno MCCCCLXXX. ordinaverat, ut quaedam provinciae loco pecuniae, pro ſuſtentando milite, rem frumentariam & alia ad victum neceſſaria, exercitibus conferrent & ſupportarent, praecepit primo ſuo medico COTTERIO *m)*, nec non palatii ſui Magiſtro Galchotio, ut alter in victus qualitatem, alter in quantitatem inquireret. Eodem quoque anno COTTERIUS delegatus fuit, ut ſtatum ſanitatis Cardinalis Balvenſis, Epiſcopi Andegavenſis, per quatuordecim annos ab eo in captivitate

m) du Clos Tom. II. p. 318.

vitate detenti, percontaretur, qui a rege dimittebatur, postquam ei COTTERIUS in favorem Cardinalis repraesentaverat, quod vitae ipsius finis appropinquaret. Sub imagine quadam Jacobi COTTERII ære excusa, e collectione Odieuvriana, notatum deprehendo tempus, quo diem supremum obiit, nimirum annum MDVI.

Ex praedictis inscriptionibus publicis Montispessulanis, quae in facie aedium Collegii Medici leguntur, inter alia quoque patet, quod *Johannes* quidam MARTINI, patria Gabalitanus, Decanus Universitatis Montispessulanae, Caroli VIII. Consiliarius, Camerae computationum Magister ordinarius, ac primus medicorum fuerit, qui anno MCDXCI. fato functus sit. Alius quidam hujus regis archiater, *Jacobus* PONÇEAU, simili modo Computationum Magister & Regis Medicus & Consiliarius fuit. Ante nominatus FUMAEUS occasionem mihi praebet, ut de *Gabriele* MIRONE *n)* mentionem faciam. Hunc terra Turonensis aeque genuit, deinceps Annae Britannicae, ut & filiae ejus conjugis regiae Francisci I. Claudiae, Medicum primum atque Cancellarium egit. Constat, quod Anna Britannica Caroli VIII. uxor fuerit, quae deinceps vidua, Ludovico XII. iterum nupsit. Tempus, quo MIRON munus Cancellarii ab Anna Britannica acceptum inchoaverit, non tam exacte determinari potest. Quodsi illo tempore contigit, quo Anna absente Carolo VIII. dum hic expeditioni bellicae Neapolitanae vacaret, regno praeerat; munus istud Cancellarii, quo MIRON tunc fungebatur, omnino ei honorificum, & magni ponderis fuisset. Constat enim, quod Regina quam sapientissime regnaverit, & gloriosum illius imperium praedicatum fuit. Id certe verum est, quod MIRON Cancellarii titulo & autoritate munitus, ipsis Januarii Calendis, pacta conjugalia Annae Britannicae Caroli VIII. viduae, cum rege Ludovico XII. inita,

P 3 suo

n) Chomel l. c. p. 20.

ſuo nomine ſignata confirmaverit. MIRONEM vero non nudum & vacuum Cancellarii titulum geſſiſſe, ex eo patet, quod Rex Ludovicus XII. qui conjugem multis naturae & animi dotibus exornatam, impenſe amabat; ei plenum non ſolum viduitatis regiae uſumfructum, ſed totam quoque Ducatus Britannici *o)* adminiſtrationem & imperium reliquerat.

Non eſt quod miremur, tam diverſa illa munera, quae tunc temporis in Gallia medicis conferebantur. Opus erat omnino, ut deficiente numero virorum eruditorum, illorum opera undique conquireretur; qui expediendis negotiis idonei judicabantur. Ac ſi FUMEUM etiam alios medicos ad expedienda negotia publica adhibuiſſe, unumque ex his alterum commendaſſe, credamus; liquet inde, tunc temporis medicos non tam deteſtanda invidia raptos fuiſſe, & multum a ſeculi noſtri moribus receſſiſſe. Praeterea cum vel æris inopia impediret, quo minus ſtipendia juſta ad remunerandum laborem definirentur, vel animus principum illo aevo ad gratitudinem adeo proclivis eſſet, ut medicis, quibus ſe obſtrictos ſentiebant, omni modo gratum ſuum animum declarare vellent: variis inde quaeſtuoſis muneribus, nec minus beneficiis eccleſiaſticis, epiſcopatibus & archiepiſcopatibus illos donabant; hinc mihi quoque in Commentatione ſecunda de Medicis archiepiſcopis, epiſcopis, & canonicis varia tradendi, anſa dabitur. Pro tempore praeſenti, ſolummodo paucis adjiciam, quod *Angelus* COTTUS, Medicus primus Caroli VIII. ſimul archiepiſcopus Viennae fuerit; idem COTTUS ille eſt, cujus nomini Philippus COMINAEUS, vir in rerum politica & hiſtoriarum cognitione aeque magnus, Commentarios ſuos de Rebus geſtis a Ludovico XI. & Carolo VIII Francorum regibus inſcripſit, quantumvis in opere a Slei-

o) vid. Claudii SEYSSELII Hiſtoria Ludovici XII. ex editione Theodori Gothofredi, Advocati, in lingua gallica cum aliis publicata. Pariſiis MDCXV. 4to. p. 101.

a Sleidano edito, & huic praemissa dedicatione, haud expressum cernatur. Apparet quoque e loco quodam Commentariorum Cominaei *p)* quod jam Ludovici IX. Regis curam corporis egerit. Reliqua de vita ejus quae innotuerunt statim in initio Tomi II. citatae editionis gallicae Cominaei, legi possunt. In catalogo clarissimi Chomelii primorum medicorum supra citato, COTTUS Archiepiscopus, inter medicos Caroli VIII. refertur.

Dignitas Archiepiscopi Cantabrigiensis Britanniaeque Primatis, non dignitatibus ecclesiasticis nude accensenda, verum & inter praecipua illa munera computatur, quae pro regiminis forma ad statum reipublicae regendum, quodammodo pertinent. Patribus regni Magnae Britanniae conscriptis, singulis episcopis, aeque ac secularibus ordine prior est, & post principes e domo regia, primum semper tenet locum. Ex hoc capite regni Cancellarium summum, Sanctioris consilii Praesidem, magnum Sigillorum custodem, & reliquos omnes coronae ministros dignitate antecedit *q)*. Terras non nullas possidet, ab omni alia jurisdictione penitus exemtas. Licet ab ipso rege ad hanc dignitatem evectus sit, stylo curiae tamen ab eodem in litteris titulo compellatur: *Dei gratia Archiepiscopus Cantuariensis.* Ipse vero sibi vendicat titulum: *Divina providentia*; cum reliquis episcopis verbis modo: *Divina permissione*, uti liceat. Solio superinsidet, quando Archiepiscopatus munere investitur. Diversis judiciis ecclesiasticis, quae mandatis suis subjecta

p) Lib. IX. p. 453.

q) v. Etat nouveau d'Angleterre par le Docteur CHAMBERLAINE. Amsterd. 1692. p. 223. Guy MIEGE geist- und weltlicher Staat von Grofs-Brittannien und Irrland. Leipzig 1718. p. 531. seqq. KÜCHELBECKERS Beschreibung der Stadt London p. 48. Ej Allern. Nachricht v. Kœnigr Engelland 1737. p. 37. p. 137. p. 159. p. 217. G. W. ALBERTI Briefe betreffend den allerneusten Zustand der Religion und Wissenschaften in Grofs-Britannien p. 531. seqq.

ſubjecta ſunt, praeſidet; deinde & illa juris praerogativa gaudet, quod gradus Academicos conferre queat. Varii epiſcopi munera in aula ipſius & dioeceſi, ex antiquo jure adminiſtrant. Epiſcopus Londinenſis vices Decani provincialis explet. Epiſcopus Vintonienſis Cancellarius ejus dicitur, & Roffenſis Epiſcopus Capellani munere fungitur. Praeterea quoque jus illi competit coronandi regem. Hoc abſente & extra regnum in itinere conſtituto, plerumque inter proceres qui regnum adminiſtrant, tanquam ordine primus eligitur: quo quidem munere anteceſſores, Archiepiſcopi *Potter* & *Herring*, iterata vice functi ſunt. Antiquiora tempora diverſos caſus exhibent, ubi penes Archiepiſcopum Cantuarienſem durante principis minorennitate, vel quoque abſente rege tanquam ſtatus reipublicae Praefectum, imperii moderamen unice fuit: vel denique interdum titulo Gubernatoris ipſius principis & regni ſimul, clavum imperii tenuerunt. Archiepiſcopus Cantuarienſis ſemper fere ſanctioris conſilii membrum eſt, quo titulo praeſidem ordine antecedit. Archiepiſcopus praeſenti tempore hoc munere fungens, in ſuprema Appellationum curia, anno MDCCLXII. inſtituta, ubi de cauſis maritimis cognoſcitur; ſtatim poſt principes e regio ſanguine natos, locum ſuum habet. Ex quibus patet, Archiepiſcopum Cantuarienſem non ſolo munere eccleſiaſtico inveſtitum, verum quoque negotiis publicis & politicis, quae regiminis ſtatum attinent, magna ex parte intereſſe. Tanto major inde noſtrae Facultati honor accidit, quod hisce temporibus haec dignitas in Doctorem medicinae collata ſit, & operae pretium eſſe duco, de fatis ejus & vitae curriculo, brevibus nonnulla *r)* huic commentationi adjicere.

Thomas Seckerus Anglo-Britannus, quod nomen in rubro diſſertationis ſuae inauguralis profitetur, anno MDCXCIII. vel

r) *Genealog. Archivarius* 1738. p. 475. id. 1762. p. 230. 1764. p. 230. Alberti l. c. p. 488. p. 546. p 568.

vel XCIV. a parentibus Presbyterianis natus, ſtudio theologico ab iisdem mancipabatur; aſt medio in curſu ſtudiorum ſuorum mentem mutabat, per pluresque annos Edenburgi atque Lugduni Batavorum ſtudio medico operam impendebat. Praemiſſa deinceps & ventilata diſſertatione inaugurali *de Medicina Statica*, Doctoris medicinae gradum nonis Martii anno MDCCXXI. Lugduni Batavorum impetravit. Hoc ſcriptum eximiae eruditionis ejus ſpecimen refert, quo aphoriſmi a Sanctorio de Medicina ſtatica proditi, valde limitantur; neque minus obſervationes Floyerii & Keilii recentiores, in eadem diſſertatione brevibus explicantur. Perilluſtris Hallerus, ſoliditate hujus ſcripti ductus, illud Volumini tertio Diſſertationum ſuarum anatomicarum, nulla facta mentione de mutato docti autoris ſtatu, inſeruit. Doctor Seckerus Lugduno redux, artem medicam eximio cum applauſu Londini exercuit; occaſionem ibi nactus, qua Comiti cuidam magnae autoritatis & perſpicacitatis propius innotuit: hic cum Seckeri eximias animi dotes, facundiam, & in rebus theologicis profundam doctrinam admirabatur, ſuaſor illi exſtitit, ut ſtudio theologico iterum vacaret, & exemplo Archiepiſcopi Potteri, aliorumque Anglorum, qui ortum ſuum parentibus Presbyterianis debebant, in caſtra eccleſiae epiſcopalis tranſiret. Placuit hoc conſilium Seckero, eidemque morem inſigni cum fructu geſſit; cujus praeclarae dotes ad oratorem eccleſiaſticum perficiendum, animus a natura candidus, ſolida eruditio, probitas ſanctiſſima, quin & ei proprius rerum proponendarum modus & ordo, homines ad pietatem & virtutem alliciens; mox ſingulis adeo cordi erant, ut omnes virtutibus ipſius dignum pretium ſtatuerent. Anno MDCCXXXVII. Epiſcopi Oxonienſis munus in eum translatum fuit, cum Epiſcopus Potterus ad dignitatem Archiepiſcopalem Cantabrigienſem evehebatur, & ni fallor, Seckerus jam antea per aliquot annos alii muneri Epiſcopali

vacavit. Quantum virtutes ejus ſingulos movere valuerint, ex inde conjicere licet, quod ipſo illo tempore, quo Epiſcopus Oxonienſis fuit, ſimul ad munus primi concionatoris in æde Sti. Jacobi Londini eligeretur. Hoc templum unum e praecipuis eſt, & cum anni parte dimidia diutius ab Epiſcopatu ſuo abeſſe nequibat; modo viginti ſex conciones ad populum per annum habebat, & pro iſto labore ſtipendium annuum octies centum librarum ponderis accipiebat. E quo tamen praemio more anglico, ſic dictum Curates, pro reliqua laboris parte hoc in munere praeſtando, ſuſtinere debebat. Certum eſt, quod æque penes aulam Regis Georgii II. quam & principem Walliae magna in gratia fuerit: inſequenti enim anno ſtatim, cum modo anno praecedente ad Epiſcopatum Oxonienſem elevatus eſſet, anno nimirum MDCCXXXVIII. magno illo favore fruebatur, ut non modo Regem feliciſſime nunc regnantem, tanquam Ducem Cornubiae, nec non ſingulos ejus fratres atque ſorores ſacro fonte initiaret. Tempore adhuc regis Georgii II. poſt obitum Archiepiſcopi, Thomae Herringii, menſe Martio anni MDCCLVIII. munere Archiepiſcopali Cantuarienſi ipſi collato, inveſtiebatur. Summo hoc munere eccleſiaſtico fungens, anno MDCCLXI. ſexto iduum Septembris die, honor illi contigit, ut Regem Georgium III. regiamque conjugem, ſecundum anglicanae eccleſiae ritum matrimonio jungeret. Decimo vero die Calendarum Octobris ejusdem anni, magno illo honore fruebatur, ut Regem una cum Regina in coronationis actu ungeret, coronam eis imponeret, aliasque conſuetas cærimonias conficeret. Cum die XII. menſis Auguſti anno MDCCLXII. regni quidam Proceres, Adminiſtrique ſtatus, matutino tempore circiter horam quintam convocabantur, ut more in Magna Britannia ſolito, partui principis Walliae intereſſent, Archiepiſcopus Cantuarienſis ſolus in cubiculo reginae morabatur, cui tanquam medico iſte aditus tanto faci-

liori

liori modo patebat; reliqui vero regni proceres in conclavi huic cubiculo adjacente, foribus apertis tenebantur. Sexto iduum Septembris die apud principem natum, baptismatis ritum peregit; anno deinceps MDCCLXIII. decimo octavo Calendarum Septembris die, principem natu ſecundum, ducem Gloceſtriae æque baptizavit, atque hodierno adhuc die Reverendiſſimus SECKERUS ſumma autoritate pollet.

Inter medicos, qui praeſenti ſeculo quantum conjicere licet, haud rogati, negotiis politicis ſeſe immiſcuerunt, & ut tales tam publicis in ſcriptis accuſati, quam a principibus ſuis æque publice defenſi ſunt; primum locum ſine dubio meretur celebris ille ſanctiori a conſilio titulum gerens Archiater, *Robertus* ARESKIN: cujus hoc loco mentionem tanto lubentius facio, quanto majus exemplum favoris & amicitiae in illo occurrit, quo princeps miniſtrorum ſuorum aliquem, unquam complecti valeat. ARESKINUS ſeu ERSKINUS gratiae ſui principis, Ruſſorum Imperatoris Petri I. valde ſe commendaverat, nec nudo Conſiliarii intimi titulo utebatur. Cum anno MDCCXVII. clandeſtina & callida conſilia inter Lib. Baronem de Görtz, Comitem de Gyllenburg, Comitem de Marr, nonnullosque alios detegerentur; quae id intendebant, ut regnum Magnae Britanniae, ad minimum Scotiae, opitulante aſtuto & inſidioſo regni Hiſpaniae miniſtro, Cardinale Alberoni, in ſubornatum, ut ajunt, Regis Jacobi II. heredem deferretur: quod ſecundum machinatorum tricas, optime viribus conjunctis Regis Sueciae, Imperatoris Petri I. ac ſubſidiis pecuniae hiſpanicae, exequi poſſet. Tunc temporis inter ſchedas Comitis de Gyllenburg legati Suecici in aula Londinenſi, ſimulac comprehendebatur, diverſae epiſtolae reperiebantur; quibus de ARESKINO quaedam inſerta erant, ac ſi ſperarent miniſtri, eum tanquam aſſeclam principis Stuardi favorem & propenſum animum Imperatoris Petri ei conciliare, nec minus pacem cum rege Sueciae eum in

finem jungendam, quovis modo faciliorem reddere velle. Cum totum iſtud litterarum commercium, Londini prelo mandabatur *s)* Imperatori Ruſſorum hoc factum admodum diſplicebat, quod ea quae de ERSKINO & Imperatore ipſo dicta erant, ſe inſcio publicata eſſent. Ipſe defendebat archiatrum in ſcripto quodam ſolenni a Weſſelowsky *t)* Miniſtro ſuo Londini reſidente anno MDCCXVII. d. IV. Id. Mart. tradito. Aſſerebat ibi inter alia, ejus inimicos, ut ſcelerata ſua conſilia atque inſidias colore quodam ſpecioſe obducerent, de ERSKINO medico Imperatoris nonnulla inſerere auſos fuiſſe; ad inſimulandum, ac ſi cum Comite de Marr litterarum aliquod commercium habuiſſet, eumque de animi ſententia Imperatoris erga Stuardum admodum propitia, perſuaſum reddere conatus eſſet. Imperator hoc in ſcripto, mores ſui medici per tredecim annos, quantum temporis curae ſanitatis imperatoriae impendiſſet, bene a ſe perſpectos, laudibus effert; additque, ſe illius opera, non in negotiis adminiſtrandae reipublicae, ſed unice illa in re uti, quae ad munus in illum delatum pertineat. Profitetur porro Imperator, & de ſe ipſo affirmat, quod ſtatim ab initio, ubi comperiſſet, e cognatis ſui medici quosdam in crimine ſeditionis contra regem Britanniae implicatos eſſe, omne litterarum commercium cum illis ERSKINO interdixerit. Quae omnia & ſingula prolixiori modo in ſcripto ante dicto explicantur. Reſponſum quod die XIII. Calendarum Aprilis, Stanhopius nomine aulae Londinenſis dabat; reſpectu Medici ARESKINI eo tendebat: ut oſtenderet, regi Magnae Britanniae ne minimam quidem ſuſpicionem ineſſe de eo, ac ſi Imperator Ruſſiae favore erga ſic

s) Integrum illud commercium litterarum impreſſum legitur in Theatr. Europ. 1717. p. 316 ſeq. 332 ſeq. Europ. Fama P. 198. p. 472. p. 202. p. 896. Allgemeine Chronick, Tom. XVIII p. 848.

t) Memoires du Regne de Pierre le grand Empereur le Ruſſie, par B. Jwan NESTESURANOY, à Amſterd. T. III. p. 627

ſic dictum Praetendentem ductus, fraudibus Miniſtrorum Suecicorum aſſenſum praebuiſſet. Quantum vero ad Areskinum archiatrum, locum litteris impreſſis inſertum, omitti haud potuiſſe, cum rei neceſſitas id exegiſſet, ut imprimerentur tali modo, quo in ſcriniis Gyllenburgii repertae eſſent. Interea regem Magnae Britanniae documenta ſuae exiſtimationis, quanta erga imperatorem duceretur, eo dediſſe: quod nullam de hac re querelam ad imperatorem unquam detulerit, licet indicia contra Areskinum adeſſent, haud exigui ponderis. Inſuper & regem in eo totum acquieſcere, ſi imperatori placeret, hanc rem cum medico ſuo, oblivioni tradere. Alexander Gordon, olim in exercitu Imperatoris Petri Magni Summus vigiliarum Praefectus, qui anno MDCCXV. duce Comite de Marr, tanquam ducis legatus & vicarius, copiis rebellium in Scotia præerat, in vita Imperatoris Petri Magni *u)*, horum ſcriptorum publicorum mentionem injicit, additis obſervationibus ſequentibus: Verum eſt, inquit, quod declarationes miniſtrorum publicorum, in aulis extraneis notae admodum incertae ſint, de veris principum ſuorum conſiliis & propoſitis, cum illi rem eſſe putant commodis ſuis valde aequam, ut homines ſalariis ſuſtentent, qui eorum autoritate fumum pro veritate vendunt *x)*. Gordonius diverſis in locis haud obſcure prodit, ſe perſuaſum eſſe, Ruſſorum Imperatorem, quod ad haec negotia ſpectat, rei conſcium fuiſſe; cum contra Pſeudonymus ille Neſteſuranoy vel potius Johannes Rouſſet in Annalibus Petri Magni, Imperatorem, quacunque occaſione oblata, ab hac ſuſpicione defendere atque liberare conatur. Excepto hoc paſſu, libro illo Rouſſeti valde caeteroquin uſus eſt Gordonius, praecipue in iis rebus & factis, quae poſt annum MDCCXI. hiſtoria ipſius continet, quo nimirum anno, poſtquam impetra-

 tam

u) Edit. Germ 1765. p. 162. 175. 176.
x) Ibid. Part. 2. p. 88.

tam missionem ab Imperatore Russorum efflagitaverat, in Scotiam se recepit, ut paternis & avitis bonis frueretur. Eventus docuit, quod aula Britannica licet in data responsione prima simulaverit, se iis quae a Wesselowsky proposita essent, omnem habere fidem: Res tamen illa altius reposta nec penitus oblivione tecta manserit. Cum enim bellum illud horribile inter Russiam & Sueciam, post mortem Caroli XII. quasi renasceretur, & classis Britannica sub praefecto Norisio, sese cum Suecica jungeret, & ex hac causa idem Russiae Minister Wesselowsky, vigesimo quinto Decembris die, anno MDCCXIX. Londinensi ministerio scriptum memoriale tradidisset, cujus tenor in vita Petri Magni summatim legitur *y)*. Nomine ministerii Londinensis die VIII. Calendarum Martii anni MDCCXX. regerebatur *z)*, insidias ab aula Russica in causa subornati heredis regis Jacobi II. structas, aulae Britannicae minime occultas esse; non enim solummodo emissarios & internuncios sic dicti Praetendentis Petropoli susceptos fuisse, ex quibus postea Eques Hugh Paterson comiti de Marr affinitate junctus, Eques Harly Stierling, & certus quidam Irnegan nominantur; verum quoque propositiones & consilia illorum non solum audita, sed & suffulta, imo excitata fuisse. Praeterea ab Imperatore, Ormondiae ducem Mitaviae protectum; expeditionem bellicam in Norvagiam cum rege Sueciae ideo definitam fuisse, quo ex his oris irruptio in Scotiam tanto facilius suscipi posset. Dicebatur porro Imperator cum Hispanis foedera invadendi causa iniisse, & inter utriusque regni Ministros Hagae Comitum, arcanum aliquod litterarum commercium diu jam institutum esse, hujusque generis alia. Quod vero Areskinus semper hoc consiliorum commercio implicatus censebatur, praecipue inde ortum est, quoniam e gente Scotiae nobiliori originem suam

y) Cit. Nestesuranoy T. IV. p. 321. seq.
z) Idem T. IV. p. 354. 385.

suam traxit, & Comiti de Marr arctissimo propinquitatis vinculo junctus fuit; Areskini quoque familia tunc temporis Jacobitarum partibus favebat. Comitatum Marr jam a tempore reginae Mariae Stuardae haec familia possidebat, & more recepto, filius Comitis de Marr natu major, titulo: *Lord Areskin*, salutatur. Prolixius forsan ex actis publicis supradicta proposui; feci id autem, ut ipse lector rem dijudicare & de Areskini consiliorum influxu, quid placeat, statuere queat. Quaedam de vita Areskini, quae mihi innotuerunt, his adjungere placet. Ex antedictis patet, Areskinum anno MDCCXVII. jam trecennalem operam medicam Imperatori Russiae praestitisse. Eodem quin & praecedente anno, idem Imperatorem itineribus in Bataviam & Galliam vacantem comitatus, mense vero Julio una cum illo ad fontes Spadanos moratus est; ubi Imperator per Areskinum documentum expediri jussit, de insigni utilitate & fructu, quem ex hoc fonte percepisset: & hoc testimonium virtutis aquarum, a magistratu ejusdem loci adhuc hodie *a)* sancte custoditur, & advenis ostenditur. Ipse Imperator hoc in loco monumentum marmoreum *b)*, prolixa inscriptione ornatum, condi jussit. Cum Imperator in Gallia cum Areskino degeret, curiosissimus ille harum rerum desiderabat, ut Areskinus sibi copiam faceret, spectandae celebris illius operationis chirurgicae, cujus ope miraculi instar cœcis visus restituitur. Respondebat Areskinus voto Imperatoris, & rem ita dirigebat, ut eo praesente Clarissimus ille Wolhousen, homini ex cataracta cœco, eam deprimeret; ac videndi facultatem huic cum maxima Imperatoris admiratione redderet. In itinere Batavo existimationem, quam de celebri Bœrhavio concepisset Imperator,

a) v. Les Amusemens des eaux de Spaa, edit. germ. 1735. p. 353. Breslauer Samml. 2 Vers. 1717. p. 428.

b) Les nouveaux Amusemens des eaux de Spaa, par J. P. de Limburg à Paris 1763. p. 65. Breslauer Samml. V. Versuch. 1718. p. 1654.

rator, ſingulari & principibus inconſueta quadam moderatione indicabat. Bœrhavius tempus atque horas diei ordinaverat, hunc ordinem ſibi propoſitum ab aliquo turbari, aegre patiebatur, ne unius cauſa tot aliis tam in ſtudiis quam in conſiliorum acceptione impedimento eſſet. Aeſtivo tempore poſt quartam ſtatim horam, hyberno vero poſt auditam quintam, mane ſurgebat. Imperator verſus noctem in navi quae trahitur, ſive liburnica, Lugdunum intrabat; & ne Bœrhavio tempore minus opportuno moleſtus eſſet, noctem in liburnica prope ad aedes Bœrhavii tranſegit: quo a quinta matutina ad ſeptimam, quae praelectionibus publicis deſtinata erat, doctis cum eo colloquiis, de variis naturae & artis miraculis, indicante Schulteſio *c)*, vacaret. Interea tamen & haec colloquii cauſa fuiſſe potuit, quod Bœrhavium tunc temporis de valetudinis ſuae ſtatu conſulere, ejusque conſilio ſibi proſpicere voluerit. Qua nimirum de re, in loco infra adducto *d)* nonnulla ſeorſim notata leguntur, quorum ab relatione hoc loco merito abſtineo. Areskinus de imperio Ruſſico vario prorſus modo meruerat. Inſignem illam imperatoris officinam pharmaceuticam Petropoli tam eleganter inſtruxerat, ordineque ſuo diſpoſuerat, qualis adhuc hodierno die in conſpectum ſeſe offert. Exercitibus, claſſibusque, imo toti fere imperio ex hoc vitae & ſanitatis armamentario proſpicitur, & certo reſpectu reditus imperatoris inſigni modo ex hoc fundo augentur *e)*. Ex relatione vero ſumme Reverendi & Clariſſimi Doctoris Büſching, conſervandae officinae ab aula centum ac decem millium imperialium ſumma quotannis impenditur, & praeter hanc tam nobiles & ductores militiae, quam milites ipſi per annum

c) Schultens Oraiſon funébre, en Memoire du Grand Hermann Bœrhave 1739. p. 44.

d) Breslauer Samml. 1717. IIter Verſuch. p. 428.

e) Gordon l. c. T. II. p. 178. Neſteſuranoy, l. c. T. IV. p 396.

annum circiter quadragies mille imperiales adhuc conferunt *f)*. ARESKINUS fontes quoque minerales Olonicenses celebriores reddere conatus est. Districtus Olonicensis lacum Ladogam & Onegam interjacet, ipse vero fons salubris, triginta circiter milliarium intervallo a civitate disjungitur, unde nomen & ipse cum toto territorio accepit. Hoc loco optimae sortis fabricae ferreae totius Russiae, variique generis aliae ibidem exstructae reperiuntur. Jam eo tempore quo Imperator Petrus I. imperabat, in terris Russicis mos invaluerat, ut aquarum mineralium usus gratia, itinera in regiones exoticas susciperentur. Imperator bene perspiciebat, quod non solum hoc instituto haud exigua pars pecuniae e regno profunderetur, verum quoque hujus generis itinera Imperatori tanto magis displicebant, quia eorum occasione turbae & consilia principis Alexii ejusque asseclarum, non tam concepta quam digesta aliisque communicata essent. Quo igitur commorationem apud Olonicensem fontem eo amoeniorem redderet, summo studio omnia adornari, & locum aedificiis exornari jubebat; persuasus nempe, quod acidulae istae non minoris pretii ulla in parte iis esse valerent, quas terrae aliae exoticae producerent, quin potius illas ceteris omnibus anteferri posse, tunc temporis credebatur. Quaedam nobis de hoc fonte scripta supersunt. Inter alios Georgius *Remus* epistolam de Aquis martialibus Olonicensibus ad D. J. P. Breynium anno MDCCXX. concinnavit, a quo deinceps hoc Schediasma ipsius Epistolae de Melonibus petrefactis Montis Carmel vulgo creditis, per modum appendicis annexum fuit. Nuper adhuc celebris Chymicus *Modelius*, in Horis suis subsecivis chymicis, anno MDCCLXII. germanice editis, naturam fontis Olonicensis suo scrutinio subjecit; quo examine cum Doctoris *Remi* sententia com-

f) Neue Erdbeschreibung. T. I. p. 654.

comparato conjicitur, quod fontis virtutes ſine dubio olim majores, quam noſtris temporibus fuiſſent. Ipſe Imperator ſaepius confeſſus eſt, ſe hoc fonte non ſine magno emolumento uſum fuiſſe, & Areskinus omnem impendebat operam, ut fons iſte inclareſceret. Verum ipſe anno MDCCXIX. fatis hoc loco cedere jubebatur, dum eodem morbi genere oppreſſus fuit, ad quem tollendum iter ad fontem ſuſceperat, cujus aquarum potu ſe ſanitati reſtitutum iri ſperabat *g)*. Gordonus, qui praeſens Areskinum bene noverat, de illo teſtatur, quod vir ſuavis, ſummae ſinceritatis & dexteritatis fuerit, dignus utique fide & amore principis ſui. Ex annalibus illius Neſteſuranoy aeque ac ex commemoratione vitae Petri Magni a Gordono concepta, patet, Imperatorem de exiſtimatione & fide ſua in archiatrum, poſt mortem ejus adhuc ſigna dare voluiſſe, dum magna cum pompa, ut exequiae illius celebrarentur, juſſit. Qua de re ſingularia iſta, quae ad hanc ſepulturam ſpectant, ex autore infra citato *h)* adducam. Poſtquam Imperator comperiſſet, Areskinum Olonitzi e vita diſceſſiſſe, lacrymis illum proſequebatur, corpusque demortuum Petropolin deferri jubebat; oſcula figebat corpori delato, & ſumtuoſum ac magnificum funus ei faciebat ac ordinabat. Non ſolum ipſe Imperator aderat, cum ſermo funebris habebatur, verum quoque rem ita diſponebat, ut reliqui archiatri, & medici aulae, ſtatus & caſtrorum, inſtar funus efferentium, de utroque latere loculum comitarentur. Ipſe Imperator primus inter lugentes, pullatus pedes incedens, cereum manu tenens eundem ſequebatur. Reliqui variae vero & ſummae conditionis homines, funali cereo in manu exſequias funeris proſequebantur. Exſequiis finitis unicuique e coetu funeris comitum, Imperator

g) J. C. Rieger Introductio in notitiam rerum natural. & artefact T. I. p. 162.

h) Les Amuſemens des eaux de Spaa. p. 354. ſeq.

perator annulum aureum, cui nomen demortui una cum die obitus incisum *i)*, in memoriam dabat. Rousset autor saepe adductus annalium refert, quod Imperator corpus quidem exanimatum Petroburgum deferri mandaverit, addit, quod in novo coenobio sancti Alexandri Newski, septem milliaribus Russicis a Petropoli dissito, sepultum sit. Cum doctissimus ille Medicus, Hermannus KAW-BOERHAVE, magni Boerhavii ex sorore nepos, Potentissimae Russiae Imperatrici Elisabethae a consiliis status, postea vero e sanctioribus consiliis, anno MDCCLIII. in dignitate Archiatrorum Comitis & Expeditionis s. Cancellariae Medicae Directoris, diem supremum obierat, vi mandati singularis, & in signum cultus atque gratiae, qua Magna illa Imperatrix singulos viros doctissimos prosequebatur, huic quoque solemnes exequiae habebantur, quibus ut Ministri regni, Senatores & exercituum Praefecti frequenter interessent, a Clementissima Imperatrice ordinabatur. In Comitatu hoc exsequiali, solus equitum ex summo Sti. Andreae ordine numerus octo, personas complectebatur; qui una cum undecim equitibus ordinis Alexandri Newski & Stae. Annae, taenia rubra distinctis, multisque aliis Imperii & aulae proceribus, comitatum splendidissimum reddebant. Istiusmodi non solum honores, sed & alia virtutum praemia, & largae ac honorificae remunerationes viris doctis & optime meritis his in terris saepe a summis imperantibus exhibita, magnae existimationis, scientiis & harum professoribus tributae, indicia luculentissima praebent. O quam felix metamorphosis mente vix attingenda illa est, quam in hoc imperio cernimus, ubi alio tempore ob summam superstitionem ac tenebrosam caecitatem populi, artes & scientias caligabant imo despicatui habebant Imperantes! Nondum seculum praeterlapsum est, cum Medicus quidam Daniel de Gadden, magiae & veneficii criminis

r 2 suspicio-

i) Ibid.

ſuſpicionem incurrebat, ea nimirum ex ratione, quod rerum naturalium curioſus, cancrum Moluccenſem, ſerpentes quosdam tam in ſpiritu vini quam arefactos, variaque alia e naturae gremio nata, collegerat. Haec in domo ejus reperta ex cauſis etiam unam dederunt, cur a ſeditioſis Strelitzenſibus torturae ſubjectus & deinceps in partes truncatus fuerit. Contingebat hoc tali tempore, quo vel perſonae ſummi generis, imo naturales patriae principes, vita periclitabantur *k*). Miraculi inſtar eſt, ſi conſideramus, quosnam progreſſus in hoc imperio fecerint artes & ſcientiae ab ortu hujus ſeculi, ſub auſpiciis Sapientiſſimi Petri I. usque ad noſtra tempora. Minime vero tam celerrimo curſu eos ſic properare, increſcere & tam late diffundi potuiſſent, niſi ſumme imperantes, illos, qui easdem praecipuo modo colunt atque exercent, praemiis & honoribus proſecuti eſſent. Ut enim contemtus eorum animum & ardorem, qui artes & ſcientias profitentur, ſufflaminat, ſic honores & aeſtimatio eosdem incitant. Haec veritas praecipue, quod ſupra jam dictum, e Commentatione ſecunda illiusque nexu patebit, ubi de mediis explicatio dabitur, quorum uſus adeo felicem eventum delendae barbariei fere univerſae, ſeculo decimo quinto & decimo ſexto dedit. Glorioſiſſima Imperatrix Catharina II. quae feliciſſime ac cum totius Europae admiratione, vaſtum illud Imperium Ruſſiae nunc gubernat, efficit non ſolum, ut bonae artes & ſcientiae ſub ejus ſapienti & moderato Imperio floreant, ſed eas quoque omni modo inter ſubditos auget & protegit.

Si favente fortuna, & imperantium ſapientia in terris ſeptentrionalibus, hac ratione longius proceditur, complementum illius divinationis a Petro I. oriundae non temere exſpectandum erit. In populi ſui incitamentum ſaepius Imperator

k) v. Eigentlicher Bericht, wegen des in der Stadt Moſcau 1682 entſtandenen Tumults. it. Theatrum Europaeum Tom. XII. p. 441. ſeq.

rator dicebat, quod artes & ſcientiae, quae in Graecia olim praecipue celebratae eſſent, & in Italiam tranſiiſſent, nunc per ſeptentrionales terras & per Ruſſiae imperium, rurſus in Graeciam tenderent. Variis quidem argumentis alii effato Magni Imperatoris contradicunt, & gentibus, quæ ſeptentrionem verſus ſitae ſunt, omnem ſpem magnos in artibus progreſſus faciendi denegant, ſed uberius quae objiciunt, in ſequenti paragrapho diluam.

Nunc modo ne quis me erroris e defectu memoriae commiſſi, inſimulare poſſet, ſi hoc in paragrapho, ſeriem illorum Medicorum exhibente, quos honoris gradus aliquis ſpectabilis, inclytos reddidit; Illuſtriſſimum Sacri Romani Imperii Comitem Lestocquium, tacere vellem. Cum vero hoc in campo, jamjam latiorem propoſito meo viam emenſus ſim, de celeberrimo hoc viro ex annalibus hujus ſeculi tam illuſtri, id modo adducam; quod natus ſit Cellae anno MDCLXXXXII. & ſanitatis curam Eliſabethae principis filiae Petri I. per XXVI. annos geſſerit. Hinc tam eruditio ejus in arte chirurgica atque medica, quam prae caeteris ejus fides & opera graviſſima, Imperatrici Eliſabethae, cum anno MDCCXLI. ſolium paternum conſcenderet, praeſtita; fuerunt merita illa, quibus Sanctioris Conſilii Miniſter, Archiatrorum Comes, Director generalis expeditionis medicae & facultatis ejusdem nominis, per totum quaqua patet, Ruſſiae imperium, factus eſt; cum annuo honorario ſepties mille imperialium, cui domicilium gratuitum, rhedarum & equorum aulicorum uſus cum pediſſequis & officialibus neceſſariis jungebatur. A nonnullis Joannis, ab aliis Hermanni praenomine inſignitur. E documento quod anno MDCCXLVI. manu ſua ſignaverat, & meum in conſpectum dato, titulisque ſupra dictis referto, comperi: quod praenomen ejus Joannes fuerit, ſubſcripſerat *Iwan F. Leſtocq*, cui nomini, Comitis Sacri Romani Imperii titulus eodem in inſtru-

mento addebatur. Ex quo tempore enim Confiliarii intimioris ad gradum evectus, ftatim quoque non tantum Ruffici Imperii Nobilis factus, fed & poftea ab Imperatore Carolo VII. anno MDCCXLIV. d. VII. Aprilis dignitate & honoris titulo, Comitis Sacri Imperii Romani, donatus fuit. Diploma vero, ubi tunc temporis Mofcoviae degebat, a legato Imperatoris Lib. Barone de Neuhaufs, d. XXIII. Junii, Lestocquio traditum fuit. Ferebatur quoque, Lestocquius, infigni quodam ordine equeftri fuiffe ornatus, verum non nifi imago defuncti Regis Poloniae Augufti III. fuit, margine gemmis fplendidiffimis inclufa, quam a Rege dono accepit, & collo appenfam gerere pro more habuit. Gratiam & favorem Imperatricis fuae perdebat anno MDCCXLVIII. omnibusque muneribus honorificis, ftipendiis, ac bonis privabatur, & Kamtfchatckam deportabatur. Interim tamen ante aliquot annos nimirum anno MDCCLXII. impetrabat, ut una cum conjuge fua ex illuftri Mengdeniorum familia, Petropolin redire poffet, quo tempore fummus Imperator Petrus, nomine tertius, magna cum gratia eundem fufcepit, gladio aureo donavit, & terras olim ab ipfo poffeffas, fifcoque jam addictas, largiffimi proventus, iterum reddidit. Fata hujus viri, cum recentioris aevi facta fint, plura de his in locis infra allegatis *l)* legi poffunt.

Praeter exempla ifta, quorum in fupra deductis mentio facta eft, majorem adhuc numerum Medicorum defignare poffem, quorum fides ingenii dexteritas & merita, largo praemiorum munere haud caruerunt, & quos principes fua dignos gratia & amicitia fingulari, crediderunt. Sed ex adductis exemplis de medicis, quibus munera publica, Medica a Facultate prorfus aliena, demandata fuerunt, fatis patet, medicinam

l) Commercium litterar. Noricum. 1742. p. 321. Geneal. hiftorifche Nachrichten 1749. P. CXXX. p. 889. feq. Fortgefetzte neue geneal. hift. Nachrichten 1762. Theil III. und IV. p. 227. 286. 288.

nam artem haud eſſe, quae ingenia indolis praeſtantioris impediat, quo minus etiam in aliis ſcientiis, quae prolixiorem rerum apparatum requirunt, inclareſcant; confirmant potius eadem exempla veritatem in praemiſſa diſſertatione explicatam, artem medicam philoſophia & matheſi fundatam, praecipuum inter ſcientias locum obtinere, quae acuendo ingenio inſerviunt.

Medicorum aliquem propoſuimus, qui inter perſonas eccleſiaſticas, in regno, cujus incolae maximam partem, ad normam rationis, ſuas cogitationes dirigunt, praecipuo honore ac ſumma dignitate mactatus, adhuc hodie floret. Nec minus alium, qui ſua aetate ſimul officio ſummi Jurisconſulti fungebatur. Nec alii defuerunt, qui priſco tempore ſummis dignitatibus inclaruerunt, neque minus recentiori aevo negotiis politicis vario cum ſucceſſu ſe dederunt. Ea vero animi intentione plane careo, ac ſi medicis conſulere vellem, ut ſeſe rebus politicis immiſceant, quo in altius honoris faſtigium adſcendant, quia nec Medica Facultas graviſſimis muneribus & dignitatibus caret, ut paragrapho ultimo, docebimus. Sed notum eſt illud effatum: Fuge ceu peſtem την πολυπραγμοσυνην, cujus veritatem inter Theologos Funccius, inter Jurisconſultos Crellius, & inter Medicos Jeſſenius a Jeſſen, triſti ſuo exemplo confirmarunt. Felix ille utique praedicandus eſt, qui procul ab aula & politicis negotiis, cum rationis moderamine conſilium Paracelſi ſequi queat: Nemo ſit alterius, qui ſuus eſſe poteſt.

§. XXVI.

Promiſi ſupra, me in hac paragrapho argumenta quaedam relaturum, quae adverſus artium & ſcientiarum ex Italia in terras ſeptentrionales progreſſum, militare viderentur; quae partim ab exemplo e priſco aevo deſumta, partim ex praejudicio, partim ex malevolentia & livore quodam, orta ſunt.

Dicunt

Dicunt enim, tempore jam Romanae reipublicae artes & ſcientias, ſenſim ex Graecia in Italiam eſſe trangreſſas, ac ultimis reipublicae & primis Imperatorum temporibus, quam maxime ibi, praecipue Romae, floruiſſe; nullibi tamen legi, quod olim latius ſeſe terras ſeptentrionales verſus extendiſſent: nec hoc recentiori aevo accideret, cum tam climatis vel coeli inclementia, quam bellicoſus gentium genius, aditum ſcientiis & artibus intercludat. Inſuper quoque deſint in his terris antiquitatis exemplaria, egregia & exquiſitiſſima, quorum ad normam artifices a prima fere aetate delineare, eosque imitari poſſent; quorum vero copia Italia abundet. Nec minus celebratiſſimas tabellas pictas, & delineationes maximorum artis magiſtrorum, in Italia praecipue Romae conſervari; & facilius magna ingenia oriri, ſi ſtatim a principio bona exempla prae ſe videant. Ratione ſtatuarum & tabellarum pictarum, adhuc monent, religionem catholicam plus dare exercitii pictoribus & ſtatuariis, quam evangelicam, praeterea pictorum phantaſiam & imaginationem, ſanctorum & miraculorum repraeſentationibus excitari.

Si adducta momenta ratione & animo luſtrantur, quilibet facile perſpiciet argumenta ex coeli influxu petita, nullius fere vel non tanti eſſe ponderis. Coeli enim influxus adeo celebratus, deficiente ingenii cultura, fere imaginarius & inanis eſt. Si gentium antiquarum mores, genium, animi habitum, ejusque motus, dotes & affectus ex Hiſtoricis colligimus, & conſideramus; ac cum recentiorum quae in iisdem terris habitant, modo cogitandi & agendi comparamus: longe eas in eadem coeli regione inter ſe differre, & plane non eandem fuiſſe gentem, facili negotio cognoſcimus. Mutata enim imperii forma, ſecundum regiminis axiomata & imperantium conſilia & principia, quoque populorum mores mutantur, & animi formantur & finguntur. Romana florente republica, ſub

ſub conſulum regimine, vaſtiſſima ſaepe regna expugnabantur, & maximi reges & principes Romae in triumpho ducebantur, populus vero Romanus nunquam ſub ſervitutis jugum imperantium mitti potuit. Imo ipſo honoris & triumphi die, licitum erat, jocis ſic dictis militaribus, laudes & vituperia triumphatoribus aperte & in faciem dicere; ne ob divinum fere eis praeſtitum honorem elatius ſe gererent, & ſupra cives Romanos ſe valde elatos eſſe, cogitarent. Populus Romanus libertatis ex naturali quodam e majorum dictis & factis excitato impetu & genio, tunc temporis vindex, ſervitutem abhorrebat, nec leges ſibi praeſcribi paſſus eſt, ſed eas toti fere univerſo dabat. Nunc ſub eadem coeli temperatione, hodiernos incolas ſummae ſervituti ſe ſubjeciſſe inferunt alii: acervatim eos ad pedes principis monachi vel eccleſiaſtici, cui ſumma poteſtas eſſet, ſe proſternere; ſandaliaque ejus, cum ſumma reverentia exoſculari. Eundem illum principem muneribus, quae ex cereis agni effigiebus, lineis globulorum cum appenſa cruce, oſſibus cadaverum ignotorum aridis, & hujus generis aliis conſtent; plus in animos imperio ipſius parentium efficere, cum famem, penuriam, magiſtratuum vexationes & aviditatem patienter ferant: quam apud antiquos Romanos ne maximis quidem triumphatoribus, ex conſulum & imperatorum numero, congiariis, nummorum larga diſtributione, frumentatione, ludis venationum, viſcerationibus, prandiis ſolennibus, ſive epulis ludorum cauſa, naumachiis & hujus generis aliis muneribus ſucceſſiſſet; & diverſitatem inde populorum eorumque animi & ingenii diſcerni licere. Putant quidam, modum cogitandi priſcorum Romanorum ex influxu coeli & umbra priſtinae libertatis, noſtris quoque temporibus Romae perſpici; quia plebs Romana ſub regimine ſacerdotali nimia libertate frueretur, & ex eo facili negotio agmen fortium & intrepidorum militum conſtrui poſſe, qui ad majorum exemplum mor-

tem contemnerent, nec plebem ibi foeminis carere, animo & audacia praeditis. Sed de heroibus ex militia papali & plebe recentiori Romana, apud hiſtoricos, quantum memini, parum vel nihil legitur, & ſi unquam homines promptae & inſignis audaciae ex plebe recentiori aevo, eluxerunt; hoc certe ſub ſeptentrionalibus populis contigit. Coeli influxus, potentia & vis, etiam ex eo infringitur, cum videmus, Graeciam doctiſſimorum & ſapientiſſimorum virorum patriam, nunc non niſi rudes & optimis ſcientiis imperitos, ſub eodem coelo *) proferre. Nec minus ſatis notum eſt, quod ſtudia & artes, noſtro tempore non tali ardore, & celebritate ab Italis excolantur, ut in ſeculis praeterlapſis factum eſſe ſcimus; & hodie Germani & Galli, qui Romae degunt, iis palmam fere praeripiunt, & artium famam & exiſtimationem, in ipſa urbe Roma conſervant.

*) Minime coeli influxum in animos hominum plane negare cupio. Sicut enim natura cuivis regioni dona quaedam diverſa tribuit, ſic & incolas variis ingenii dotibus ornavit & inſtruxit. Quae autem neglectae obſcurantur, & ſub optimo coelo, ut ſupra probavimus, plane evaneſcunt. In liberis ſtatibus & rebus publicis, ſcientias & artes ad majorem perfectionis gradum evehi, multi quidem contendunt, quia una cum commercio & opibus transmigrare ſoleant. Agitur vero ſolummodo de Patrum Patriae cognitione & voluntate, ut in ſubditorum animos & naturae dona profunde inquirant, eosque prudenti & apta diſpoſitione & incitamentis validis perfectiores reddant. Sanguinis mixtio ſub mitiori & calido coelo peracta, artifices format in arte veloces, qui ob mirabilem ingenii celeritatem, & ob vividam imaginationem, argutias, facetiſſimos ſales, nec non venuſtatem quandam & blandiſſimum aſpectum, qui oculos tenet, in operibus ſuis oſtendunt vel oſtendere valent. Eadem vero ſanguinis velocitas hos ſaepe eo perducit, vel ut praecipitatos ingenii foetus, non ſatis apte tam regulis artis quam legibus compoſitionis, aut moribus adſtringant; vel ut gratiam & ſuavitatem ſingularem operibus ſuis comparent, veneres naturae in exceſſum deſcribendo, veritatem ipſam & nobilem ſimplicitatem plane negligunt, & veriſimilia non vera nobis tradunt; vel inſolita componunt indulgendo luxurianti ingenio; vel compoſita minus apte obruunt; vel concaleſcenti & perverſae imaginationi nimis concedunt, nec ea quae fingunt ſatis certo judicio ponderant. Vitia, quibus ſollicita cultura ingenii, uſu artium regulis conſcripto, & judicio doctrina maturato, feliciter medetur. Artifices ex hiſce regionibus ita inſtructi, multifaria artis ſpecimina & admiranda ſemper, expoſuerunt. Germania non undique clementi ſed temperato quodammodo coelo gaudet. Incolae vero doci es ſunt & laborioſi Exprobrata iis ſaepe propenſio ad imitandum, cum in externum cultum libenter degenerant, multum in artibus

vant. Religio Romana in eo quidem plus valet, quod legendae ſive vitae ſanctorum uberrimas praebuerunt pictoribus ideas, ut ex iis ad inſtar metamorphoſium Ovidianarum, repraeſentationes ſuas componere & exornare potuerint. Tota vero Italia templis & coenobiis abundat, eorumque copia & mole premitur. Templa & aedes imaginibus & ſtatuis refertae ſunt, & vix novis artificibus locus datur, ubi artis ſpecimina collocare poſſunt, ac pietatis zelus in hoc genere bonorum operum decrevit. Interdum artis dona monſtrare valent, ſi veteres & celebres picturas imitari & eas exprimere jubentur, cum apographa in exteras terras vel a praefectis lucri cupidis, vel a monachis indoctis, clam divenduntur. Doctis vero & artium peritis jam dudum tot effigies Apoſtolorum, Sanctorum utriusque ſexus, centies imo millies repetitae, nec non aeternae

bus juvat. Felix enim naturae imitatio, una cum oculorum menſura, ad primas boni artificis dotes pertinet. Pingendi fingendique inter Germanos conditores, qui naturam absque delectu, ſimpliciter & rigide imitando, quam diligentiſſime omnia conſectati ſunt; veracitatem eximiam tradunt: ob cultus vero defectum, auſteriores in abſolutione & veſtium pictura eos fuiſſe, aſpectus ſtatim prodit. Genius tamen & propenſio Germanorum ad excolendas artes, undique ſe manifeſtat, & ex hoc colligere licet, quod laudati inter eos artifices fuere, qui nunquam Romam viderunt, & absque omni antiquitatum ſtudio & cognitione, & absque exemplaribus recentiorum Italiae artificum, ſola naturae imitatione & ductu ingenii ſui, inclaruerunt. Quod praecipue in ſcholarum Belgicae & Germanicae praecurſoribus maxime exſplendet. Cum antiquorum opera optima, delectu pulchritudinum naturae maximam famam conſecuta ſunt, & inter haec Graecorum, ob artificum in delineando ſummam accurationem & ſingularem veſtium earumque rugarum & ſinuum expreſſionem, valde laudantur: data inde occaſione, Germani ex ingenio ad imitandum proclivi, ſe facile ad tantopere commendatum antiquorum monumentorum ſtudium, formare poſſent & nunc formant. Eorum itaque Germaniae principum cura, ſummopere laudanda eſt, qui probatiſſimis antiquorum & recentiorum ſpeciminibus undique collectis, quae inter eos publici ſed pravi ſaporis ſunt, emendant; & exemplaria laudatiſſima ad imitandum exponunt. Nam absque hac principum provida cura, quae itidem ſine ſolida inſtructione & excitata aemulatione, manca eſt; optima deliteſcerent ingenia & ſupprimerentur. Injuria Germanis ſegnities quaedam & deſidia imponitur, quando modus cum iis agendi animum comprimit. Artium enim progreſſui ſemper morae eſt, ſi plus rerum quam animi pretiis excubatur, & artifices Protogenis fatum ſubeunt, de quo Plinius ait: Sordebat ſuis, ut plerumque domeſtica. Solertia Germanorum tam in imitando, quam in abſolutione operum

ab

compoſitiones ex legendis & metamorphoſibus jam exhauſtis, ſtomachum moverunt *m)*, in prioribus rariſſime ingenium ultra artem eſt, & minus intelligitur quam pingitur. Concedendum quoque, quod ingenia artificum bonis exemplaribus ad imitandum propoſitis excitentur, quando vero in urbe omnia optimis antiquorum monumentis abundant, indifferenter & ſine ſingulari delectu haec colluſtrantur oculis; quod gravibus & egregiis teſtibus *n)* probari poteſt. Qui autem rarius exquiſitiſſima artis exemplaria vident, magis moventur, & nobili quodam aemulationis & imitationis ſtimulo adficiuntur. Cultura ingenii rei cardo eſt, ſi haec non negligitur, ſed ſumme imperantium induſtria & adparatu omni modo producitur, minime dubitamus, quin artium progreſſus in terris ſeptentrionalibus feliciſſime, licet lento gradu, ſuccedant. Seculo autem ad mini-

m) vid. Celeb. *Winckelmann* Gedanken über die Nachahmung der griechiſchen Wercke p. 39.

n) Winckelmann, von der Fähigkeit der Empfindung des Schönen in der Kunſt p. 7.

ab iis conceptorum, vix conſequenda eſt. Figuras enim omnes in quavis materia imitari audent, artique ſummam intentionem impendunt. Artifices inter eos ſemper extiterunt, qui immenſo labore & cura ſupra modum anxia, ſolam naturam preſſo pede imitati ſunt; quorum pares inter alias gentes vix reperimus, exempli gratia Dennerus, Seiboldus ejus aemulus, & Gerhardi Douw inter Germanos imitatores, & alii multi. Certa quaedam gentibus ſeptentrionem verſus ſitis, imputata cunctatio & tarditas, qua in perficiendis operibus ſuis funguntur; iis tempus ad melius omnia dijudicandum ſubminiſtrat. Germani, quibus cum reliquae ſeptentrionem verſus ſitae gentes conveniunt, in artibus exercitati, plerumque graves & ſeveri ſunt: ingenio vero doctrina magis exculto, artis praeclariſſima ſpecimina exhibent & comparant. Artifices elegantes & concinnos ex eorum gente recenſere, & dicta uberius exemplis demonſtrare poſſem, niſi vitas & merita eorum jam celeberrimi viri de Sandrat, Doppelmeyer, G. W. Knorr, nec non celeberrimus FUESLI, praecipue vero artis peritiſſimus & illuſtris de HAGEDORN, variis in ſcriptis, cum multo judicio & rara artium cognitione, expoſuiſſent. Laudandum quoque quam maxime eſt illud inſtitutum, quo doctiſſimi autores Bibliothecae elegantiorum ſcientiarum & artium utilium, incrementum, cultum & augmentum artium promovent, & in artificum doctrinam, omnia & quaevis utiliſſima conferunt. In eadem ſaepe celebrium artificum vitas, merita & elogia tradunt; interdum quoque eorum opera docte depingunt

minimum opus eſt, ut totae nationes eo perducantur, ut artis claritate & abſolutiſſimis operibus manifeſtentur. In Gallia Franciſcus I. artium & ſcientiarum culturam introduxit, ſed ab hoc ſeculum fere cum dimidio praeterlapſum eſt, usque ad ea tempora, in quibus artes ad quendam perfectionis gradum pervenerunt, licet ſub mitioris coeli inclinatione, provido adparatu, multo impendio & omni cura, inſtituerentur. Atque ad hunc gradum minime perveniſſent in ſtatu monarchico, ubi regnantium cogitationes & principia ſaepe cum unius morte principis mutantur, niſi Ludovicus XIV. ultra dimidium ſeculum regnaſſet; qui in adminiſtros regni, artium & ſcientiarum amatores & protectores, recepiſſet. Nam horum eſt, in ſingula capita & neceſſaria, quae ad artium incrementum pertinent, ſeſe implicare. Ejusmodi minutiae & apinae principibus excidere ſolent, quarum tamen neglectu, optima ſaepe inſtituta infructuoſe pereunt. Concedendum denique eſt, quod eo tempore, cum artes & ſcientiae in antiqua Roma vigebant, ad exteras regiones, ob ſummam gentium barbariem & inſcitiam, non progreſſi ſint; imo ipſa Italia ſcientiarum & artium

 ſedes,

pingunt & dijudicant. Tam hoc nobiliſſimo inſtituto, quam Collectione illa opuſculorum diverſorum ad promovendas artes & litteras elegantiores; artium doctrina & cognitio, non ſolum apud nos, ſed etiam apud eos, qui regionum confinio nobis conjuncti ſunt, provulgatur & clarius perſpicitur. Summa autem laus tribuenda eſt, celeberrimo rerum antiquarum Praeſidi, Illuſtri WINCKELMANNO, qui Germanorum in rebus antiquis peritiam & cognitionem, hucusque apud nos valde neglectam, eruditiſſimis ſuis ſcriptis revocat. Eruditorum patriae noſtrae gloriam Romae tuetur, & ex amplo ei delato officio, quanti ibidem aeſtimetur, colligi poteſt. Multi ſunt, qui de Praeſidis antiquitatum Romanarum officio, iniquum conceptum ſibi formant; eumque cum viſitatore atrienſi, vel exploratore, qui merces prohibitas attinet, malevole comparant; licet munere hoc ſpectatiſſimi Praelati, & conſummatae eruditionis viri, ſemper functi ſint. Deſcribitur illud officium in Vita Franciſci Bianchini Veronae 1735. edita, qui eo ipſe mactatus fuit p. 40. ſequentibus verbis: il Papa dichiarlo Preſidente delle antichita per metterlo in poſitura di meglio ſupplire alla ſua incombenza, giacche uffizio e quello, che obliga a ſaper d'ogni cava, informarſi d'ogni ſcoperta, e principalmente invigilare contro l'eſtrazione, e il traſporto fuori de Roma delli anticaglie, ſtatue, iſcrizioni, o altro di tal natura.

ſedes, harum gentium migrationibus & devaſtationibus adeo convertebatur, ut Muſae ibi per plurima ſecula tanquam ſepultae jacerent: usque dum ſeculo decimo quinto potiſſimum, a doctis hominibus graecis iterum revocarentur *); artesque ſenſim una cum litteris renatae, praecipue Mediceorum Principum adjumento & ope, ad perfectiorem gradum apud Italos & poſtea quoque apud Belgas proveherentur. Horum vero gloria & claritas, etiam Germanos & adjacentes populos incendebat, ut horum veſtigia premendo, indefeſſo ſtudio & nobili aemulatione artibus intenderent animum. Mirandum ſane eſt, quod opera tot nobiliſſima ex Germanorum, Suecorum imo & Danorum manibus, jam patrum & avorum noſtrorum memoria provenerint. Vix & ne vix quidem ultra dimidium ſeculum circumactum eſt, quod artes quodammodo principum cura apud Germanos protectae & ſublevatae ſint, cum ſummus jam artium in Gallia, tunc temporis animus eſſet. Nec dubitandum, ſi tanto impendio & ſtudio apud Germanos artes ſuffultae eſſent, eorum artifices ad optimos artis magiſtros fuiſſe acceſſuros. Eo magis nunc velociſſimum artis progreſſum, in terris ſeptentrionem verſus ſitis, ſperare poſſumus: cum non ſolum Patres Patriae ſe muſis delectant, ſed omnem quoque lapi-

*) Seculo jam undecimo pictores graeci, muſivarii, ſed rudes & inconditi, Florentiae degebant, inter quos, quantum memini Apollonius quidam fuit, reliquorum nomina in occulto latent. Inter Italos ſeculo duodecimo Margaritonus Aretinus, innotuit. Seculo decimo tertio, varii inclaruerunt, inter quos Joannes Cimabue eminet. Jam tunc inter Germanos, celebres ſui generis fuiſſe pictores, extra omne dubium poſitum eſt. In eo autem famae ſuae male conſuluerunt, quod artis gloriam, plerumque fragili materiae commiſerunt. Encauſticen enim apud eos tunc temporis maxime floruiſſe, ex relictis quibusdam ad hunc usque diem rariſſimis picturis, in tabulis feneſtrarum vitreis, veterum ſacrarum aedium, ſacellorum, & domorum quarundam, ſatis notum eſt. Dolendum vero, quod antiquitatum Germaniae, praecipue monaſteriorum hiſtoriae ſcriptores, plerumque artium ignari, picturas tam in vitris, quam in altaribus & epitaphiis quae tunc temporis eis ornabantur, repertas, neglexerunt. Ex codicibus & miſſalibus monachorum manuſcriptis, cum figuris varie pictis, etiam quaedam de artium apud Germanos medii aevi conditione, & ſtatu, explicari poſſent.

lapidem movent, varioque conatu & auſu rem adgrediuntur ut in regnis ſuis artes una cum ſcientiis diffundant, easque perfectiores reddant. De Ruſſici imperii metamorphoſi feliciſſime progrediente, ſupra jam memini. In Suecia artes ingenuae & fructuoſae, ut & ſcientiae regno ſalutares, quovis modo producuntur, ac ſubditi praemiis ac honorum incitamentis inflammantur. Nec minus in Dania Muſae manſuetiores omni ſtudio & cultu perficiuntur. Nobiliſſima & non ſatis laudanda, principum qui clavum imperii tenent, inſtituta, quae ad artium & ſcientiarum incrementum, Viennae, Dresdae, Monachii, Manheimiae, & apud nos ſuſcepta ſunt, ſapientum Germaniae animos, qui patriae amore ducuntur, gaudio & voluptate perfundunt. Nec eſt quod querantur artifices, Germaniae deeſſe probatiſſima monumenta, & exquiſitiſſima exemplaria & ſpecimina artis antiquae & recentioris. Inſignis rerum antiquarum theſaurus Dresdae in uſum artificum & amatorum patet. Monumenta enim antiqua, quae olim Porticum Chigianam Romae ornabant, nec non ſtatuarum quarundam apparatus, ab Alexandro Albani, Principe Sedis Romanae Eccleſiae Purpurato, coemtus; ut & tabularum pictarum pretioſiſſima collectio, quae olim Ducis Mantuani erat, ibi non ſolum aſſervantur, ſed artificibus quoque fructum inde capere licet, quem novum Academiae artium inſtitutum valde promovet. Baro de Plat, & Conſiliarius Camerae intimus, de Heinecken, magnam gratiam ab orbe erudito & amatoribus inierunt; cum eorum opera tam ſtatuae illae antiquae, quam tabellae pictae, delineatae & aeri inciſae innotuerunt. Ecquis eſt, quem fugiat, quanto cum ſucceſſu Rex noſter Sapientiſſimus, cujus laudem nulla unquam obſcuratura eſt oblivio contendat: ut artes & ſcientiae in terris ſuis creſcant? Finem diſſerendi non invenirem, ſi vires meae ad extollendum laudes optimi Regis in hoc ſtudio ſufficerent. Ex innumeris tamen aliis unam ſolummodo rem, exem-

exempli gratia proferam. Quis quaeso unquam ante hos triginta annos cogitasset, quod in his terris tot rarissimos antiquitatis thesauros, tot recentiorum artificum selectissima opera, inventurus esset? Tabularum pictarum nova collectio, quae in spatiosissima & splendidissima porticu imaginum, eique adjacente interiori conclavi, Villae regiae prope Potsdamum, conservatur; omnes artis peritos admiratione & voluptate perfundit. Quis enim Musarum amicus, in pretiosissima porticu, opera selectissima Leonardi da Vinci, Raphaelis Urbini, Antonii Allegri de Correggio dicti, Titiani Vecelli, P. P. Rubens, Antonii van Dyck, Julii Romani, Guidonis Reni, Lucae Jordani, Ciroferri, Caroli Marattae, Guercini da Cento, Julii Caesaris Procaccini, Pauli Veronensis, Andreae del Sarto, Pauli Rembrand, Joannis Lyvens, Joannis Rothenhammeri & aliorum, sine admiratione & summo oblectamento contemplabitur? In adjacente autem interiori conclavi, opera summo artificio elaborata & perfecta, Adriani & Petri van der Werff, Casparis Netscheri, Hannibalis Caracci, Nicolai Poussin, Josephi Spangoletti, Eustachii le Sueur, Nicolai Lancret, Gerardi Douw, Govarti Flynck, & aliorum; tabulae quoque minoris formae, arte consummata celeberrimi Petri Pauli Rubbens confectae, omnem admirationem movent, oculosque firmiter tenent. Harum omnium catalogum, Vir clarissimus & harum rerum peritissimus, Matthaeus Oesterreich peculiari libro, & earum ordinem, quo in lumine collocati sunt, duabus tabulis sculptis, edidit. Picturae quaedam artificiosissimae musivi operis, in eodem conclavi conservatae, his adjungi debent: quarum prima Psychen Raphaelis imitatur, altera Mariam virginem cum filio, ad exemplar a Carolo Maratta pictum. Utraque artificio Alexandri Cochii, Romae confecta est. Nec desunt Potsdamii, in palatio regio, & in variis cameris Villae regiae, supra memoratae, quae a deducendis curis

curis nomen habet, varia celeberrimorum pictorum monumenta, inter haec etiam diversa, quae penicillo Clarissimi WATTEAU effícta sunt, multum laudis merentur. Varia quoque triclinia & oeci regii Berolinensis palatii, nec non Charlottenburgensis, picturis, utique egregiis locupletantur; quae solida descriptione dignae sunt. Antiquitatis vero & nummorum cimelia, quae tempore Gloriosissimi Regis Friderici I. comparata sunt, a Begero in tribus Voluminibus Thesauri Brandenburgici, in libro de Lucernis sepulchralibus, in multisque aliis eruditissimis scriptis, docte recensita & explicata, Berolini videri possunt. Quanto autem cum studio antiquitates, quoad ejus fieri potest, incorruptae & pretiosissimae undiquaque colligantur, elucet ex eo: quod nuperrime quoque pretiosissimus ille, & in toto orbe litterato, celebratus thesaurus gemmarum incisarum, Philippi L. B. de STOSCH, cujus catalogum celeberrimus Winckelmannus composuit, & doctissimis cum animadversionibus MDCCLX. edidit, ab optimo Rege emtus sit, & Potsdamii conservetur. Ex statuis antiquis, quae palatium regium Charlottenburgi exornant, unicam fere sui generis collectionem commemorare satis erit, cui praeter Niobes familiam, quae ex quindecim statuis constat, in hoc genere nihil comparandum esse creditur. Lycomedis hic intelligo familiam, quae ex decem statuis constat, & Lycomedis uxorem, septem ejus filias, una cum Achille & Ulysse refert. Totam illam historiam Achillis ab Ulysse detecti, politissima arte, corporis, habitus, gestuum & mentis expressione, repraesentant. Ceciderunt quidem hae statuae in Clarissimi Abbatis WINCKELMANNI vituperationem *o)* sed de hac alibi. Ex Pario marmore, decenti & naturali fere magnitudine, fictae sunt graeci operis dignae

o) Abhandlung von der Fähigkeit der Empfindung des Schönen in der Kunst p. 19. Geschichte der Kunst des Alterthums p. 384.

dignae fama. Tam in corporum quam veſtimentorum expreſſione, praecipue autem in Achille, eleganter omnia compoſita ſunt. Gracile & juvenile corpus habitu muliebri, ſive tunica manicata tegitur. Rugae & plicaturae ſumma perfectione elaboratae, & tam ſcite diſpoſitae ſunt, ut occultatus ſexus transluceat. Pedes dum ponit & movet, retruſa ſtola & revolante palla, actionem Achillis cum haſta & clypeo exſilientis, egregie exprimit. Si noſtris temporibus eruta eſſet haec ſtatua, opinantur multi, quod rerum antiquarum peritiſſimi vix aliam interpretationem daturi fuiſſent. Cum eodem loco, ubi Achilles effodiebatur, non ſolum ſeptem vel octo aliae figurae diverſae aetatis, quod ex corporum & membrorum varia proportione luculenter apparet, virginali habitu & veſtitu diſtinctae, nec non una, aetate jam provectiori & matronali habitu induta, in his quoque alia viri adulti ſtatua, ſimul ſepultae adjacerent: Quid mirum, ſi haec primo poſſeſſori, antiquitatum rimatori eximio, & artium minime imperito, ſuſpicionem injecerunt de Lycomedis familia hic detecta. Comprobata haec forſan eſt, repertis ſimul ibidem variis fragmentis rerum, quae nunc hiſce ſtatuis cum nova manu reſtituerentur, attributae ſunt. Mille ſine dubio ſuperſunt antiquarum rerum monumenta, quae longe minori veriſimilitudine, impoſita eis nomina & ſignificationes merentur, & reprehenſione carent. Achillis ab Ulyſſe agniti hiſtoriam jam apud Graecos artis objectum dediſſe, ex Plinii libro trigeſimo quinto comperimus. Athenion enim Maronites, Glaucionis diſcipulus Achillem virginis habitu occultatum, Ulyſſe deprehendente, Athenis in pictura celebravit. Sic Niobes familiam quae itidem in ſtatuis expreſſa eſt, antiqui artifices tam picturis, quam in marmore, opere anaglypto, imo ſtatuas ipſas, plus ſimplici vice caelarunt. Lycomedis familia non omnis graeci operis eſt, duae enim ſtatuae ex manibus priſci Romani artificis prodiere,

diere, quod eodem modo in Niobes familia accidit, cujus integritatem genuinam, ex hoc argumento infringi poſſe, Clariſſimus WINCKELMANNUS *p)* multis rationibus negat. Infitiandum non eſt, quod temporis injuria & barbarorum vaſtationibus hae ſtatuae varie & valde mutilatae ſint. Fatum, quod nec innumeris aliis antiquitatum praeclariſſimis monumentis, nec Niobes familiae pepercit; quae pari modo multum detrimenti accepit, & recentiorum artificum manu huc & illuc reſtituta eſt, imo de genuino capite ipſius Niobes, adhuc inter artis peritos, magna lis eſt *q)*. Si omnes illae ſtatuae *) quibus caput, naſus, brachia, manus, digiti, pedes, & alia membra vel adglutinata, vel ſtatuarum trunci qui recenti manu redin-

t 2 tegrati

p) Geſchichte der Kunſt und des Alterthums p. 336.

q) Anmerckungen über die Geſchichte der Kunſt Præf. pag. XIII.

*) Nec confractae Statuae uſu ſuo carent. Variae enim antiquorum monumentorum reliquiae ſuperſunt, quas tam arte periti, quam artifices ipſi magni aeſtimant, & ad imitationem & exercitium proponunt, & ſummopere commendant. In multis ſtatuis licet brachia, caput, pedes aliave membra reſtituta ſint, tamen artis praeſtantia valde celebratur, ut ſupra quibusdam operum celeberrimi Winkelmanni locis citatis, monſtravimus. Ex contemplatione trunci, ſtatuae, ſingulari artificio operaque perfectae, artis antiquae peritiſſimum tandem mente commotum ſcimus; qui antea iterata & ſaepius repetita vice, ſine ſingulari affectu eundem viderat. Loquor de trunco illo ex marmore albo valde celebrato, qui rerum antiquarum peritis negotium faceſſivit. Romae in Vaticano in area ſeparata, quae ad hortum Belvedere pertinet, * juſſu Julii II. ponebatur, nunc ſub tecto, cancellis ferreis cinctus, Papae Innocentii XI. cura, conſervatur. Opus eſt Apollonii Athenienſis. Caput, brachia, pedes imo & pectus ** deſunt. Nihilominus ex relicto trunco, du Bos *** & alii, neſcio ex qua ratione, dijudicarunt eum fuiſſe militis, qui cum aliis (in quibus ſic dictam Pasquini mutilatam ſtatuam quoque fuiſſe) Alexandrum ſauciatum extuliſſet, & totum Symplegma ex uno lapide conſtitiſſe. Alii ex parte pellis leoninae dorſo adhaerente, ut Blainville in Itineribus ſuis notat (de qua reliqui vero ſilent) de Herculis proni ſtatua conjecturam ceperunt. Alii, inter quos celebris ille Bernini, Herculem Joles amore captum & fila ducentem in eo viderunt. Michael Angelus Bonarottus, celeberrimus nec unquam ſatis laudandus artifex, hunc truncum ob excellentiam operis ſemper magni fecit, & de ſumma arte & ingenio acuto, quo factus ſit, multum

* An Account of Some of the Statues cet. by Mr. Richardſon. London 1722. 8vo p. 281.

** Bibliotheck der ſchönen Wiſſenſchaften Vol. V. p. 33.

*** Du Bos, Reflexions critiques ſur la Poeſie & ſur la Peinture, ſixième Edit. T. I. p. 519.

tegrati sunt, removendi essent, Roma, imo tota Italia praeclarissimis suis ornamentis orbata, lugeret. Solummodo ex celeberrimi WINCKELMANNI operibus *r)* longa series, optimarum capite, brachiis, pedibus cet. mutilatarum, recentiori vero manu refectarum, statuarum extrahi posset. Imo ipse fatetur *s)*, ne unam quidem ex pulcherrimis superesse, quae manibus affabre & venuste effictis gauderet; cum omnes manibus & plurimae pedibus genuinis careant. Nam se ex artis usu & acquisita sibi cognitione, regulam universalem formasse ait, quod statua-

r) Geschichte der Kunst &c. Præf. pag. XIX. item pag. 43. 44. 56. 66. 162. 182. cet. von der Fähigkeit der Empfindung des Schönen p. 18. 19. cet.

s) Geschichte der Kunst &c. p. 182. Anmerckungen über die Geschichte der Kunst &c. Vorrede p. IV.

multum praedicavit. Omnes nunc ob singularem operis praestantiam, & heroicam expressionem partium cum eo conveniunt, quod reliquiae sint Herculis sedentis Statuae. Idem ille Bonarottus proplasma Herculis sedentis, & serio agitantis secum animo, ad hujus typum in cera formavit * quod hodie adhuc Florentiae conservatur. Aliae adhuc Statuae in hac area, ut notum est, conservantur; quarum aspectus & contemplatio, tam optimorum artificum quam poetarum aliorumque pereleganti promtoque ingenio praeditorum, imaginationem valde incitarunt, ut Laocoonis, Apollinis, Cleopatrae, Antinoi & aliorum, quae multis & variis carminibus laudatae sunt. Inter omnes vero celeberrimus & ob antiquitatis Studia multa laude extollendus Abbas WINCKELMANNUS ** illud dorsum, Italis *il Torso* dictum, maximo cum adfectu & poetico animi inflatu, & imaginatione incensa, descripsit; cujus apotheosis hujus trunci, legi meretur. Cum laudatissimo autem Viro in eadem sum sententia *** quod ad sensum & perceptionem pulchri acquirendum, non Pegaso opus sit volitante, sed Pallade ducente. Nam fervidum & velocissimum ingenium ad venusta percipiendum, non semper est aptissimum. Pro imaginationis enim luxuria & vicissitudine, pulcherrima interdum frigide intuebitur, & mediocriter pulchra, quae sibi pulcherrima fingit, & cogitatione depingit, maxime extollet. Imaginationi enim indulgendo a veritatis tramite multi seducuntur, ficta, interdum ne verisimilia quidem, sed inter se pugnantia tradunt. Unde patet cur integri & ingenui ex his remittente impetu & fervore illo, sententias suas saepe moveant, corrigant, emendent, imo ab iisdem plane interdum discedant.

* Richardson l. c. p. 75.

** Biblioth. der schönen Wissenschaften Vol. & pag. cit. & Geschichte der Kunst und des Alterthums. p. 161.

*** Von der Fähigkeit der Empfindung des Schönen in der Kunst. p. 13, 14.

ſtatuarum partes a corpore diſtantes, praecipue brachia & manus iisque indita & attributa, novi ſint operis, quod etiam in Venere illa Medicea, in Apolline, qui in Belvedere conſervatur, aliisque praeclariſſimis accidit, quarum manus novi artificis opus ſunt. In reſtituenda Lycomedis familia celeberrimus artifex Lambertus Sigisbertus ADAM *) feliciter omnem impendit operam, ut veterum veſtigiis inſiſteret; eorumque artem abſolutam, pro viribus exprimeret. Mater & quinque filiae ex familia illa Lycomedis cum Achille & Ulyſſe, Charlottenburgi ſplendidum Regis triclinium adornant, reliquae duae filiae una cum variis imaginibus marmoreis, in oeco ſaltatorio proxime adjacente, conſervantur. Olim vero hae ſtatuae decus & ornamentum Villae ſumtuoſae C. Marii Conſulis & Triumviri Romani attulerunt, & ſollicita cura Cardinalis de Polignac MDCCXXIX. prope Freſcatum detectae, ac in Galliam cum multis aliis ibi repertis monumentis, translatae ſunt; poſtea una cum reliquis ab eo collectis veterum artificum operibus, emtione in poſſeſſionem optimi Regis venerunt, & pro-

t 3 parte

*) L. S. Adam ſenior, raram & egregiam monumentorum antiquorum collectionem reliquit, quam ipſe delineavit, & una cum quinque aliis Signis ab eodem in marmore ſculptis, a variis & celeb. chalcographis e g. Tardieu, Surugue, le Bas, Feſſard, François, le Mire, Chevillet, Defehrt aliisque in LXII. tabulis aeri incidendam curavit, eamque Pariſiis MDCCLV. in folio, ut vocant minori, edidit. In hac non ſolum num. XXXVI. una & quidem octava ex filiis Lycomedis, graeci operis ex marmore Pario, ſed quoque Hygiea quae Iſis ibidem num. XXXVIII. vocatur, ex marmore Pario graeci operis, nec minus Aeſculapius operis romani num. XXVI. conſpiciuntur. Plurima pars vel in monte Palatino, ex ruinis palatii Neronis, vel inter Romam & Freſcatum, in Villa Marii detecta eſt, ut in prologo libri explicatur. Hisque ex collectione Cardinalis de Polignac ab haeredibus, tanquam praemio, quod dicunt, adfectus eſt; quia in reſtitutione ſtatuarum muſei Cardinalis, multum temporis & laboris poſt reditum in patriam conſumſerat. Reliquam partem Romae per decem annos moratus, undique acquiſivit, & Pariſios transportatam totam collectionem venalem propoſuit. Artis ſuae ſpecimina eximia & praeclariſſima, in Gallia variis in locis praecipue in hortis regiis, & apud nos Potsdamii in villa vel potius vinea regia, una cum operibus celebris & egregii Joannis Baptiſtae Pigalii, Adami junioris, & aliorum noſtri aevi ſummorum artificum, conſpiciuntur.

parte domus regias Charlottenburgi & Potsdamii ornant. Eminent praecipue: Isis, altitudinis quinque pedum & sex digitorum, ex marmore Aegyptiaco nigro, operis antiquissimi, cujus pectus in media & superiori parte perterebratum est, commode in excavationem digitus immittitur. Julii Caesaris praeclarissima effigies pectore tenus in marmore elaborata, Julia Augusti filia ex marmore Pario, Apollo ex eodem marmore, Infans astragalis ludens exquisitissimi operis. Tria Isidis capita ibidem vidimus, duo ex his ornatu circa aures alato teguntur. Tertium vero textis & cincinnatis capillis conspicuum est, cujus reliquum corpus cum novi operis capite ei imposito, Romae in Capitolio conservatur. Nam statua illa multo ante jam reperta, verum deinde caput postea in Villa Hadriani apud Tiburim *t)* cum multis aliis statuarum confractis & disjectis reliquiis & fragmentis, in piscina detegebatur, inde in museum Cardinalis de Polignac translatum est. Statuas Minervae, Homeri, Platonis, Senecae, pectore tenus efformatas, caput Alexandri Magni, praeclari operis anaglyptici; nec minus ejusdem operis capita Homeri, & Virgilii, in forma numismatica, omnia fere ex marmore Pario, nominasse nunc sufficiat. Haec cum sexcentis aliis praeclarissimis priscae artis reliquiis, vasis marmoreis, porphyriticis, aeneis, scitissime elaboratis: mensarum tabulis, e marmore porphyritico, numidico, ophite, jaspide, granite, alioque pretiosissimo, nec minus variis mensarum tabulis operis musivi & tessellati, lapidibus pretiosis in marmore vermiculatis, e ruinis villae Hadriani erutis, & multa reliqua, quae hic praetermittere cogor. Totus ille thesaurus, ampla recensione & delineatione rei & artis antiquae periti, dignus foret, tunc quoque a Clarissimo WINCKELMANNO prolata, exactius discuti possent. Lycomedis statuam nec hic videri, nec in Museo Poligniacensi unquam exsti-

t) Winckelm. Geschichte der Kunst &c. Tom. I. p. 56.

exstitisse adfirmare possum, quod ex catalogo musei ab heredibus typis impresso quoque patet. Lectorem benevolum, ut ea, quae de hac familia proposui, una cum effato decisivo ejus, qui summum in hac re agit arbitrum *), conferat, rogo; & ipse judicet. Modum excederem, nec tam facile de toto hoc antiquitatis thesauro dicere desisterem, si propensioni meae ad antiquitatum studia hic indulgere vellem. Sed AESCULAPIUM & HYGIAEAM ex hac collectione praetermittere nequeo, quas quidem statuas, semper maxima cum voluptate contemplatus sum. AESCULAPII statua e marmore albo quod Itali, marmo salino, alii Pentelicum vocant, sculpta, in sex pedum & quatuor digitorum altitudinem eminet. Adposita ad dignitatem statura est.

*) Ipse fatetur Vir celeberrimus, quem re vera magni facio, in Praefationis Adnotationum in Historiam artis antiquae, pagina prima: se partim ex vitio memoriae, partim ex commoditatis studio, ut longae interdum in revisendo parceret viae; nobis varia in scriptis suis indicasse, quae in rebus minutioris curae, a veritate descifscerent. His adjungere quoque potuisset Vir clarissimus, se humana quaedam passum esse in hoc, quod interdum vel ex pruritu contemnendi, vel ex levitate quadam, in dijudicandis operibus artis, fretus solummodo aliorum iniquis narrationibus, decreta absoluta constituisset. Non absque veritatis & aliorum famae offensione. Accidit hoc in rebus quibusdam artis consummatissimae, quas nunquam oculis suis vidit. Dura haec sunt & ingrata, quae non sine animi mei molestia, amor artium & veritatis studium extorquent. Longum enim & criticum exhibuit catalogum, in Commentatione *de Capacitate dijudicandi & persentiendi pulchrum, in arte*, p. 18 seq de iis operibus praestantissimis antiquae artis statuariae, nec non de pretiosis Raphaelis picturis, quae extra Romam & Italiam celebrantur. Acriter hisce perstrictis, quorum omnium minimam vel nullam partem hucusque vidit, plurimam tamen pro nihilo ducit; denique hisce suppositis, concludit: quod solummodo Romae pulchri sensus perfecte planeque expoliri possit. De monumentis, quae apud nos conduntur, & supra in paragrapho laudavi, nobilissima quaedam opprimit silentio. In censum vero defert Lycomedis familiam, de qua supra quaedam monui, porro statuam sedentem infantis astragalis ludentis, de cujus vero laude & praestantia nihil detrahit, & picturam denique Raphaelis, cujus sequentibus verbis mentionem facit: „Raphael quidam sic dictus, „quem Rex Borussorum abhinc aliquot annos, „ter mille Scutatis, monetae Romanae emi„jusserat; hic loci a nemine artis gnaro, pro „opere ejus habitus est, quare etiam ut scripto „testimonio eum verum esse Raphaelem testa„rentur, obtineri non potuit."

Tot verba, tot falsa. Tres apud nos collustrantur Raphaelis pictae tabellae, illa musivi operis non computata. Loquitur sine dubio de Sancta Familia, quae Romae ante hos decem annos, & quod excurrit, emta est, & in catalogo collectionis regiae, supra memorato,

eſt. Unde Calliſtratus quidam unus ex veteribus Philoſophis, qui, ut ab Oleario creditur, Demoſthenis, vel ut aliis placet, Plutarchi tempore vixit, & deſcriptionem quatuordecim ſtatuarum, quas ſuo tempore vidit, reliquit, idem de hac ſtatua enarraret, quod de alia Aeſculapii, quam ante oculos habuit, locutus eſt *u)*: „Mihi igitur quidem, inquit, ſimulacrum non „eſſe videtur, quod cernitur, ſed veritatis opus. Ecce enim „ut non indolis imitatrix ars ſit, ſed imagine Deum repraeſen„tans in ipſum quaſi materiam vertat. Materia nimirum quae „ſit, divinum ſpirat ſenſum: manusque opus quod ſit, id ea „tamen

u) vid. PHILOSTRATI Opera ex edit. G. Olearii 1701. In fine Calliſtrati deſcriptiones ſtatuarum adjectae ſunt.

morato, deſcribitur. Cum omnia ea quae genuinum illud eſſe exemplar probant; dum haec ſcribo, in manibus & ante oculos habeo: artium & veritatis amore ductus; rem totam ex teſtimoniis authenticis & certiſſimis explicabo. Vir quidam hujus loci, qui tunc temporis ampliſſimum & late extenſum faciebat commercium; ſuo periculo picturam illam Raphaelis, quae ſanctam repraeſentat familiam, a familia Luciani de Caſſolis, teſte apochae d. d. Romae MDCCLVI. die XVIII. Maji, manu ſigilloque hujus familiae munita, ſoluto pretio trium millium & quadringentorum Scutatorum monetae Romanae ſive MDCC Ducatorum monetae Belgicae, ſibi comparavit. Non opus erat, ut teſtimonia artis peritorum, Romae degentium, emtor ſibi expeteret. Jam enim anno MDCCXLVI. d. XVIII. & XXI. Septembris celeberatiſſimus ille pictor & artis ſuae peritiſſimus, Eques Petrus Leo GHEZZI, nec non Academiae pictorum gallicae, quae Romae floret, Director, Johannes Franciſcus de TROY, firmiſſimis & ſanctiſſimis teſtimoniis, manibus eorum ſcriptis & ſubſcriptis, quod Raphaelis ſit exemplar genuinum & probatiſſimum, communiverant. Horum virorum nomina, laudes & merita, in ſcriptis biographicis artificum, exempli gratia apud Dargenvillium, Guarientum, Fueslinum, & alibi leguntur; eorum vero integritas & peritia hucusque intacta & a nemine laeſa, manſit. Apographa illa non ſolum ſigillis virorum celeberrimorum *Ghezzi* & de *Troy* ſunt munita, ſed quoque coram Cauſarum Curiae Capitolinae Notario Publico, Dominico Fabiano de *Graſſis*, ejusque ſubſtituto, Alexandro Soldino, comparuerunt, die XX. Maji MDCCXLIX. quatuor viri ſpectatiſſimi, ibidem fuſe nominati; qui manus eorum recognoverunt, ſeque de *Ghezzi* & de *Troy* charactere & ſubſcriptione plenam noritiam habere, aſſeruerunt. Unde Notarius ſubſtitutus, ipſum autographum, publica autoritate firmavit. Nec deeſt quoque horum omnium aliud exemplar deſcriptum, quod tabellionis publici, Caſparis Nicolai *Diamillac*, teſtimonio, Romae die XXI. Octobris MDCCLV. juſſu in eodem ſic nominatae, Illuſtriſſimae Dominae, Victoriae Luciani de *Caſſolis*, exhibito, autographi autoritatem nactum eſt. Ex epiſtola quadam hujus familiae, quam apographam in manibus habeo,

„tamen quae artis operibus minime praestare liceat praestat, „reconditorum animi sensuum gignens indicia.“ Romani, ut conjicitur, artificis opus est. Ac licet tot annos quoque in villa Marii sepulta jacuerit, tamen parum damni fecit. Callistrati igitur verba itidem hic conferre possumus: „Caeterum cum „ea quae oriuntur, interire soleant, forma signi ut quod sanita„tem ipsam contineat, vigorem intemeratum possidens, viget.“ Habitu pervulgato viri senis palliati, dextra manu coxae, & sinistro latere baculo nodoso innitentis, cui serpens circumvoluta est, Aesculapius comparet. Cincinni circa caput ordine quodam eleganter rejecti sunt, & ultra nucham vix deflectuntur. Barba densa est & fruticosa, non vero, ut in quibusdam sed paucis

habeo, adjungere possem, summam quater mille scutatorum monetae Romanae, a magno quodam principe, jam antea oblatam fuisse. Nec difficile foret, in apricum ponere, quibus tricis & cavillationibus administer e negotio se moveret, cum tunc temporis aliis obstrictus expensis, versuram facere non poterat. Sed haec silentio praeteribo, occasionem interim hae tricae dederunt, ut subscriptiones *Ghezzi* & de *Troy*, publica autoritate corroborarentur. Satis est, quod artis peritissimorum testificationibus, litteris consignatis & publica fide corroboratis, insimulationes iniquae depelluntur. In majorem rei fidem, artium amatoribus, ipsa verba Ghezzii & de Troy tradam: Jo sottoscritto avendo considerato, & osservato un quadro, che rappresenta la santissima Vergine con il bambino, che siede sopra le ginocchie della medesima in atto, di far' carezze à S. Giovannino, che sta in ginocchioni con le mani piegate, e dietro alla Santissima Vergine vi stà S. Elisabetta, & in distanza S. Gioseppe di altezza palmi cinque, & e di larghezza palmi quattro e mezzo, dipinto in tavola con cornice di noce intagliata, filettata d'oro, posseduto in casa dell' Illustrissima Signora la Vittoria Lucian' Cassola, e secondo il mio parere, lo stimo del celebre Raphael' da Urbino, quando mutò la sua maniera, avendo veduto le operedi Michel Angelo Bonaroti, quando operava nel Vaticano, e subbito lasciò affatto la sua maniera secca che haveva, e secondo il mio giudizio lo stimo originale del detto autore, & e intatto, senza esser' mai ritoccato nelle scrostature, mà è tutto intatto. Circa poi per averlo da apprezzàre lo lasciò alla considerazione di quello, che lo vorrà possedere, perche gl'huomini di questo valore, non gli si puol' dar' prezzo perche non vi e stato, nè vi e pari nel mondo; considerando e con molta riflessione, che il Signore Iddio lo fece venire al mondo, per illuminare la bellissima professione della pittura. Se si vuole più esatta notizia di detto quadro, leggasi il Vasari nelle Vite de pittori, al Tomo I. libro III. al foglio LXXVI. nel fine della vita di Raffaele da Urbino. Rimettendomi in tutto, e per tutto a persone più intelligenti di me, sperando, che tutti havranno maggior discernimento di me. Mà ritorno à re-

paucis aliis AESCULAPII ſimulacris & ſignis, prolixa. Pectus una cum dextro humero & brachio nudum eſt, pallium vero retortum a ſiniſtro humero rugoſum pendet, & ſub eo ſinum faciens, reliquum corpus tegit. Pedibus, Graecorum more, habenarum corrigiarumque beneficio, ſoleae apte adſtrictae ſunt. Facies honeſta, argutiis plena, & liberalis eſt; de qua non minus Calliſtrati verba valent: *Vultus autem ſi intuearis, ſenſum obnoxium ſibi facit. Non enim adſcititio decore ornatus eſt, ſed medicum & gratioſum flectit oculum, ſummaque & ineffabilis majeſtas, verecundia temperata ſublucet.* Nec inepte haec dixit Calliſtratus. Jovi enim gratia & majeſtate usque adeo in antiquis monumentis ſimilis eſt AESCULAPIUS, ut perſaepe non niſi ex ſymbolis ambo internoſci poſſint *x)*. Leve quoddam diſcrimen inter patrem & nepotem, in antiquis monumentis detegere cona-

x) MONTFAUCON l'Antiquité expliquée & repreſentée en figures. T. I. P. II. Liv. II. C. 1. & 2. p. 284.

à replicare il mio ſentimento, che il detto quadro è di Raffaele e molto bello, grazioſo, & anche ben' conſervato, alla riſerva di qualche picciola ſcroſtatura, la quale ſi è laſciata per non alterarlo da qualche perſona, che non porrà avere il merito, nè il dono, che ebbe Raffaele dal Signore Iddio, & e queſto mio ſentimento. L'atteſto con il mio ſigillo, e colla mia ſottoſcrizione. Queſto di XVIII. Settembre MDCCXLVI.

CAV. PIETRO LEONE GHEZZI.

Jo ſotoſcritto Conſigliere, Secretario del Ré Chriſtianiſſimo, Cavaliere del Regio Ordine di S. Michaele, Direttore della Reale Academia di pittura, ſcultura, & architettura in Roma, avendo eſaminato & oſſervato unitamente col Signore Cavalliere Ghezzi, il ſopraccenato quadro, l'ho giudicato eſſer' vero, & intatto originale di Raffaele da Urbino, e molto degno di quel celebre autore. E queſto mio ſentimento, l'atteſto con il mio ſigillo, e la mia ſottoſcrizione. Dato in Roma nel palazzo della ſudetta Academia. Queſto di XXI. Settembre MDCCXLVI.

DE TROI.

Locus ille ab illuſtri Ghezzio, ex Vaſari vitis pictorum citatus, qui picturam Raphaelis exacte deſcribit & ſequentis eſt tenoris: Lavorò un quadro al Signore Leonello da Carpi Signore di Meldola, il quale ancor' vive d'età più che nonanta anni, il quale fu miracoloſiſſimo di colorito, e di bellezza ſingolare, atteſo che egli è condotto di forza e d'una vaghèzza tanto legiadra, che jo non penſo, ſi poſſa far' meglio. Vedendoſi nel viſo della noſtra Donna una divinità, e nell' attitudine una modeſtia, che non è poſſibile migliorarla. Finſe che ella à man' giunte adori il figliuolo, che

conatus est saepe laudatus WINCKELMANNUS, in libro ante citato. Capilli in fronte Aesculapii, ait, eodem quo & capilli Jovis modo, in altum elevari, & inflexi oblique a latere recidere solent. AESCULAPIUS vero differt a Jove oculis minutioribus, lineamentis senilibus, reliquisque capillis. Barba praecipue in labro superiore, magis arcuatim convolvitur. In labio autem superiori Jovis se statim convolvendo, angulos oris tegit & barbae in mento exsistenti, immiscetur. Magnam illam nepotis & avi similitudinem niti forsan posse ea observatione putat, quod saepenumero filii minus patri quam avo sint similes. Aesculapium vero saepe quoque imberbem fingi, Pausanias variis in locis & alii prisci aevi autores, indicarunt.

AESCULAPIO ex adverso in splendido atrio arcis regiae Charlottenburgensis, posita est statua HYGIEAE ejusdem operis, & eodem in loco una cum AESCULAPII statua detecta. Altitudo

ejus

che le siede in su le gambe, facendo carazze a S. Giovanni picciolo fanciullo, che lo adora insieme con S. Elisabetta a S. Giuseppe. Questo quadro era appresso il Rev. Cardinale di Carpi, figliuolo del detto Signore Leonello delle nostre arti amator' grandissimo.

Picturam illam Raphaeli jure esse tribuendam, non leve argumentum quoque ex eo sumi potest, quod in eodem seculo quo Raphael floruit, ejus nomine insignita, aeri incisa sit. Possideo picturam ex aere secundum hanc tabellam pictam, exacte delineatam, cum sequenti subscriptione: *Et glorientur in Te omnes qui diligunt nomen tuum. Quoniam tu benedices justo.* Psalm. V. „Si glorieranno in „te tutti coloro che amano il tuo nome perciocche tu benedirai il giusto Ps. V." Ad latus dextrum legitur: Raphael Urbinaten. Inventor. Petrus Paulus Palumbus Novarien. Curabat Romae anno Dm. 1571. Inferius: Gaspar Albertus Successor Palumbi. Palumbum quoque opera quaedam Polydori da Caravaggio aeri incidisse, notum est. Tabulae hujus aeneae altitudo pollices XIX. latitudo vero pollices XIV. cum dimidio aequat. Sanctam familiam a Raphaele plus simplici vice, sed varie & diverse pictam esse scimus. Ea quae Versaliis conditur a variis delineata & aeri incisa est, inter quos Edeling, Frey, & Chereau junior, noti sunt. Nec minus celebres artis chalcographicae professores, Marcus Antonius, Silvester de Ravenna, Saluzzi, Pitau, Pesne, Brebiette, Roscicoti & Vorstemann, sanctam familiam ad ductum diversarum picturarum Raphaelis evulgarunt, sed dicere nequeo, an plures ex illis ad hoc archetypum confectae sint. An majoris ponderis argumenta pro eruenda veritate in hac re proferri possint, valde dubito, & confido, me omnia attulisse, quae ad convincendum, ab aequo judice requiri possunt.

ejus ſex pedes cum dimidio excedit. Induta illa eſt tunica manicata, vel ad talos usque ſtola demiſſa, pallaque circumdata. Manicae ſtolae ad cubitum usque protenduntur, & in brachio connodatae ſunt. Palla valde rugoſa eſt, praecipue ubi medium corporis ambit, ſuperius enim ſtolam non tegit, ſed pallae ſolummodo pars, in ſiniſtrum humerum rejecta eſt; altera vero pars, ſub ſiniſtro brachio ſubducta, & in plicas ſcite contracta, ad mediam fere tibiam promiſſa eſt. Pedes nudi ſunt, & ſoleis carent. Serpens dextrum brachium involvens, caput ſuum dextro humero imponit, inferiorem ſerpentis partem, laeva manu tenet. Capilli in vertice conſtricti ſunt, & in ſummo frontis, duo capillorum volumina inſtar cincinnorum elevata, eminent. Facies decora, venuſtas oris, membrorum ſymmetria & gratia, exprimunt Deam beneficam & generi hominum amicam.

Alius adhuc Charlottenburgi ex hac collectione ſervatur Aesculapius, operis Romani ex albo marmore, altitudinis viginti quinque digitorum. Qua veſtitum convenit cum Aeſculapio ſupra deſcripto, excepto baculo nodoſo cum ſerpente, quem liberiori modo dextra manu tenet, cujus typum aequa ratione in gemma praeclari & antiqui operis poſſideo. Brachium ſiniſtri lateris pallio circumvolutum eſt, quod quippe pallium manu ſiniſtra complicatum tenet, & corpus umbilico tenus nudum relinquit.

Minor adhuc Aesculapii ſtatua, quae non decem digitos excedit, ex alabaſtrite candido ibidem ſepoſita, ſed valde mutilata eſt. Caput, manus, & baculus truncata ſunt. Serpentis in gyrum circumvoluti ultima pars prope ad pedes, & baculi pars ſuperior ſub dextro humero conſpiciuntur, pectus non adeo nudum quam in praecedentibus, & pallium ſub ſiniſtro humero complicatum eſt.

Hippo-

Hippocratis thorax sive statua marmorea alba pectore tenus efformata, stylobatae excelsae imposita cum aliis hujus generis statuis, triclinium Regium ornat. Altitudo ejus a vertice usque ad imam pectoris partem sedecim digitos superat. Nec minus Potsdamii alia conspiciuntur venerandae antiquitatis monumenta, e ruinis ut dicitur Herculanensibus ad Serenissimam Principem Baruthinam cum Romae degeret, delata; quae hic praeterire nequeo. Horum primum est statua Minervae, quae non immerito Medica dicitur; alterum, Aesculapius ex albo marmore cum volumine in dextra manu, eundem humerum baculo nodoso, serpente implexo, imponit; sinistra manu pallium tenet, cujus pars humero ejusdem lateris imposita est. Pectus ad umbilicum usque nudum cernitur, ut & pedes. Statuae altitudo duos pedes aequat. Prae caeteris vero mihi placuit Hippocratis caput pectore tenus efformatum, ex marmore albo, omni aestimatione medici dignum opus est. Caput enim Divi Senis multa arte elaboratum, una cum pectoris parte, qua nititur, in viginti digitorum altitudinem surgit. Omne decorum & gratum in vultu prae se fert, nec minus modestiam & veracitatem quandam Divi Coi, artifex in charactere faciei feliciter expressit. De moribus enim & virtutibus Hippocratis, non nisi quaevis praeclarissima afferri possunt. Valde convenit Hippocratis statua cum delineatione a P. P. Rubens ex antiquo marmore desumta, quae a P. Pontio MDCXXXVIII. aeri incisa est. Eadem delineatio scite facta, movit chalcographum anglicum I. Fabrum, ut eandem melano-chalcographica arte expresserit.

Quo antiquitatis amatoribus gratum officium exhibeam, curavi ut Aesculapius & Hygiea, quae Charlottenburgi in atrio Palatii cernuntur, nec minus Hippocratis caput cum thoracis parte, quod Potsdamii conservatur, scita manu celeberrimi viri I. W. Meilii, acu in aere delinearentur, opusque

illud frontem libri decoret. In ornamentum vero initii hujus Commentationis, HIPPOCRATIS aenei iconem dedi, cujus ſignum pectore tenus efformatum nobili aerugine obductum, muſeum meum exornat: Quod ex collectione Cardinalis Paſſionei, cura & amicitia Fautoris honoratiſſimi plane ſingulari, in Muſei mei decus tranſiit. Caput ſolitam magnitudinem excedit, & ab ima pectoris adhaerentis parte, usque ad ſummam frontis, altitudinem octodecim pollicum menſurae rhenanae ſuperat, non computata baſi. Parerga figurae aeneae honores quosdam medicis priſci & recentis aevi tributos, indicant; quorum explicatione rerum periti non indigebunt.

Ex deſcriptionibus Statuarum AESCULAPII, HIGIEAE & HIPPOCRATIS ſupra exhibitis conſtat, hiſtoriae antiquorum artificum nihil inde augmenti accedere, cum nomina eorum nullibi inſcripta legimus. Licet varii artifices Aeſculapii & Higieae ſimulacra, ſumma cum laude perfecerint, temerarium tamen imo abſurdum foret, iis qui inclaruerunt, unam alteramve ex his adſcribere velle. AESCULAPIUS & HIGIEA tanquam Dii φιλανθρωποι, & ſalutares, ab antiquis ſemper ſummo cultu dignati ſunt. Priſci aevi ſcriptores, eorum templa, aedes, delubra, ſimulacra & aras, longe lateque recenſuerunt, inter quos praecipue Pauſanias, ea quae in itineribus ſuis in Graeciam inſtitutis, adhuc ſuo aevo offendit, magna cum ſolertia indicavit. Celeberrimi antiqui aevi artifices, quaſi aemulati ſunt, ut horum imagines & ſimulacra ſcite & affabre conficerent. Sic PLINIO teſte *y)* Aeſculapius, non ſolum ab Ariſtanethe Nearchi filia & diſcipula, ſed etiam una cum filiabus Hygiea, Aegle, Panacea, & Jaſone, a Socrate pictore celebri, qui referente Plinio, omnibus jure placebat, in tabellis pictis celebratus fuit. Meſſeniae in Aeſculapii fano, quod ob digniſſima

y) Hiſtor. natur. edit. Harduini. T. II. p. 709.

ſima ſigna & praeclariſſimas imagines inclaruit, non ſolum Dei ipſius & liberorum ſimulacra cernebantur, ſed ejusdem quoque & filiorum Machaonis & Podalirii, quorum clarum fuit in Trojano bello nomen, imagines, ab Omphalione *z)*, Niciae, Nicomedis filii diſcipulo, pictae condebantur. Artium jam tunc temporis apud medicos cultum & exiſtimationem ex eo perſpicere licet, quod plurima Aeſculapii templa e.g. Athenis, Meſſeniae, Epidauri & alibi *a)* ob praeclariſſimas ſtatuas, praecipue vero ob praeſtantiſſimas pinacothecas, gloriam conſecuta ſunt. Aesculapii ſimulacra vario & diverſo modo artifices fingebant. Modo pueri, modo juvenis vel viri imberbis, modo venerabilis & benigni ſenis ſpecie, colebatur. Barba eum tunc vel prolixa, vel denſa & fruticoſa ornabat. Epidaurii barbam ipſi auream appoſuerant, reliqua facie ex ebore facta. Thitoræenſes *b)* marmoreo ſimulacro barbam promiſſam ad duos pluresque pedes adjunxerant. Ratione amictus, modo ſeminudus, modo velatus, modo pileatus, vel galera tectus, modo capite inoperto, conſpiciebatur. Alii ſtantem, alii ſedentem, alii cubantem Deum formarunt. Sic Gortynae *c)* ubi Aeſculapius delubrum ex Pentelico marmore habebat, ſub ſigno impuberis Dei colebatur, cujus & Hygieae ſimulacri artifex, celebris ille Scopas erat. Apud Megapolitanos aliud Aeſculapii pueri templum conſpiciebatur, cujus recto ſtatu ſignum, nihilo erat cubitali majus. Oncii quoque vel prope ad Ladonem fluvium, Aeſculapii pueri aedes notae erant, ubi Trygonis, nutricis ipſius ſepulcrum cernebatur.

z) Pausaniae Graeciae deſcriptio. Ex edit. Sylburgii p. 273.
a) vid. Pausanias p. 37. 276. 134.
b) Schultzius in Hiſtoria medicinae p. 132. locum Pausaniae l. c. p. 673. ita explicat.
c) Pausanias p. 501.

batur *). Aesculapius vero puer cultum inde sibi conciliavit, quod a matre expositus, & ab Aristhanete pastore *d)*, vel ut alii narrant, ab Autolao Arcadis notho filio cum inventus esset, dicunt: coelestem ab illo effulsisse ignem, quo deterritum prodigio, cum divinum quiddam id esse suspicaretur, statim retrocessisse. Mox tamen per terras ac maria omnia vulgatum est, sanari ab illo quovis morbo laborantes, mortuos etiam excitari. Unde statim in Deorum numero haberi coepit. Ex antiquo monumento Nicomedis Medici Smyrnaei, Romae conservato & ab Octavio FALCONERIO descripto, discimus: Nicomedem talem statuam Aesculapii, manu erudita Seioboethi, industrie sculpi curasse „qualem obstetricatae sint recens natum Ilithyae." Unde Cuperus in libro de Harpocrate addit: quae certe Deum ut infantulum docent effictum & cultum fuisse. Idem illud monumentum a SPONIO in Miscellaneis Eruditae Antiquitatis *e)* fuse describitur. Apud Phliasios signum

d) vid. PAUSANIAS p. 133. 496.

e) p. 132. CUPERUS in Harpocrate p. 79. FALCONERIUS in notis ad Inscriptiones athleticas. In Thesauri Graec. Vol. VIII. p. 2346.

*) Laurentius *Pignorius*, Aesculapium puerum in sigillo antiquo conservabat, quem ligno affabre expressum dedit in Symbolis epistolicis p. XLVIII. edit. Patav. 1629. Capite incedit pallio velato. Pignorius addit: Quod & Romae mihi observatum est in statuis & veteribus nummis. Clar. *Winckelmannus* in descriptionis Dactyliothecae celeb. Baronis de *Stosch*, praefatione pag. XX. sequentibus hanc Pignorii animadversionem notat: Pignorius avance aussi avoir vû a Rome des Statues d'Esculape avec un voile, sur le derriere de la tête, mais les Statues de cette divinité, qu'on y voit à present, n'ont pas ce voile, & la figure sans barbe qu'il donne pour Esculape, sera sans doute quelque prêtre, & la statue décrite par Callistrate, ne semble pas avoir été sans barbe, ce que le P. Petau veut inferer des paroles de cet auteur. De statuarum Aesculapii conditione, quae Romae adhuc conduntur, Clarissimus Vir, optime nos docere potest. Ex supra vero a *Pausania* relatis patet, Aesculapium non solum puerum, sed quoque velatum ab antiquis interdum cultum fuisse. Adspicientibus vero figuram a Pignorio datam, pueri statim facies oculos feriet, quae sacerdoti minime convenit. Figurae quae a *Gisberto Cupero* in Lib. de Harpocrate, & a *Schultzio* in Historia medicinae, secundum hanc Pignorii expressae sunt, vitiose, praecipue ratione faciei, delineatae sunt: cum nescio qua incuria, loco faciei puerilis, egregiae

ſignum ejus imberbe erat. Sicyonii Aeſculapius imberbis, ex auro & ebore a Calamide factus, in templo ei ſacrato conſpiciebatur, altera ſceptrum, altera vero ſativae pinus fructum tenebat. Potiſſimum autem in nummis, marmoribus, & apud autores graecos & latinos, ſenex comatus & barbatus, ſtans, capite, pectore & dextro brachio, quo nodoſo baculo innititur, plerumque nudo, occurrit. Quod innumeris exemplis monſtrari poteſt, quae praetermitto, cum alibi de ſtatuis in medicorum honorem poſitis, multa & varia mihi de his dicenda erunt. Illud AESCULAPII *f)* magnifico in throno ſedentis ſimulacrum, ex auro & ebore perfectum, quod haud procul ab urbe Epidauri in templo ejus poſitum erat; reliqua omnia, excepto Jove Olympio, qui Athenis colebatur, antecellebat, & inter ſeptem mundi miracula, a quibusdam *g)* relatum eſt. Teſta-

f) PAUSANIAS p. 134.

g) GRONOVII Theſaurus Antiq. Graec. T. VIII. in notis Allatii ad Philonem Byzantium de ſeptem Orbis ſpectaculis ex Autoris Anonymi MSS. p. 2646. it. Clementis Alexandr. Admonit. ad Gentes. p. 34.

egregiae & liberalis, quotidianam virilem exhibeant. Aeſculapius qui Beryti colebatur, viſu erat pulcherrimus & juvenis qui viſus admirationem excitaret, referente id Damaſcio in vita Iſidori apud Photium in Myrobibliis. p. 1074. Aeſculapium gracili & juvenili corpore expreſſum, plane nudum, ſtantem, baculo ſerpente ſaepe & varie circumplicato, innixum; in vitro obſidiano poſſideo. Occurrit eadem in Chiliade III. Dactyliothecae univerſalis, humaniſſimi Viri Phil. Dan. *Lipperti* p. 29. n. 258. De Aeſculapio imberbi conferri meretur Muſeum Florentinum, Tom. II. tab. XXV. n. 3. Aeſculapium plane nudum vide apud *Montfaucon* T. I. tab. 187. n. 3. p. 286. Velato vero capite conſpicitur in Muſeo Florentino Tom. II. tab. XV. n. 3. & apud Erizzo Diſſcorſ. ſopra le Medaglie. p. 544. Aeſculapius galero vel pileo tectus in Jaſpide rubra ſcite inciſus, in ſcriniis meis conditur, & a celebri Lipperto, loco ſupra citato, n. 259. recenſetur. Alium quoque poſſideo pileatum ſtantem una cum Hygiea, in Sarda ſculptum. Inter nummos Aeſculapii duos argenteos bene expreſſos aſſervo, qui eundem pileatum oſtendunt. Sunt nummi Imp. Clodii Septimii Albini, bene conditi, qui rariores mihi videntur, cum nummi hujus Imperatoris, qui Aeſculapium ſiſtunt, & apud Patinum aliosque in numiſmatibus imperatorum, & apud Begerum in Theſauri Brandenb. T. II. p. 697. conſpiciuntur, eum capite nudo exhibent.

Teſtabatur inſcriptio opus eſſe Thraſymedis Arginoti filii, Parii hominis. Sedebat in ſolio ſcipionem tenens, altera manu draconis caput premens, cane ad pedes decumbente. In ipſo ſolio Argivorum heroum opera caelata erant: exempli gratia, Bellerophontes, Chimaeram conficiens, Perſeus Meduſae caput abſciſſum tenens. Ex Athenagorae Apologia pro Chriſtianis comperimus, Aesculapii ſtatuam a Phidia confectam ſuo tempore, Epidauri cultam eſſe. Plura enim Pausania teſte, Aeſculapii templa ibi condita erant, de hac vero celebratiſſimi Phidiae ſtatua, reliqui omnes ſilent. Sedentis Aeſculapii effigies ſaepe in nummis et ſtatuis occurrit. Cubantis vero ſimulacrum rariſſime. Conſervatur tamen Aeſculapius in lecto jacens, inter alias ſtatuas graecas & romanas, Venetiis in ProOeco Bibliothecae publicae Divi Marci. Aeri inciſus eſt apud Zanettum *h)*. Rariſſime velatus fingebatur. Prope ad Sycionium vero in Titane, ubi Alexanor ex Machaone nepos, fanum avo erexerat, ſigni ipſius ſola ſe facies, manus & imi pedes oſtendebant, partes ceterae lanea tunica alba & pallio velatae erant, ibidem quoque Hygieae ſignum undique velatum cernebatur. Nepotum pietas erga Aeſculapium, tam ex hoc exemplo, quam ex Sphyri fratris Alexanoris fano, apud Argivos nobiliſſimo, colligi poteſt. Dei ſedentis ibi *i)* videbatur ſignum e candido lapide, cui aſſidebat bona valetudo, aſſidebant quoque qui ſigna ipſa fecerant, Xenophilus & Straton; unde & artificum exiſtimatio & honos apud Graecos elucet. Occaſione deſcriptionis ſtatuarum Aesculapii, varios in hac recenſione nominavi artifices, magnae apud priſcos, praeci-

pue

h) Delle antiche Statue Greche e Romane che nell' Antiſala della libreria di San Marco, e in altri luoghi pubblici di Venetia ſi trovano. Part. II. tab. XVII.

i) Pausanias p. 127.

pue apud Graecos, famae, quorum merita in artis operibus jam ante hos decem annos in peculiari scripto *) recensui. Excipiunt supra memoratos Praxiteles, Alcamenes, Damophon, Bryaxis, Timocles & Timarchus, qui ex Pausania tanquam statuarii innotuerunt, & varia Aesculapii signa in templis Graecorum multa laude confecerunt. Ex eadem ratione Colotis apud Strabonem, Philomachus apud Suidam, celebres facti sunt. Romae, PLINIO teste, Nicerati & Cephissodori statuae Aesculapii conservabantur. Mentionem fecit horum omnium Franciscus JUNIUS in Catalogo artificum prisci aevi, quem libris de Pictura veterum adjunxit. Idem Pyromachi statuarii quidem meminit, sed omisit, eum Aesculapii quoque statuam conflasse, ut Diodorus Synopensis in Excerptis Grotii profert. Deest quoque Assalecti artificis nomen, quod in Statua Aesculapii Romae in Palatio Verospiorum servata legitur, cujus celeb. P. I. Baro de STOSCH in Praefatione libri de Gemmis antiquis meminit. His quoque addendus est Seioboethus statuarius, cujus supra memini, qui frustra in JUNII indice quaeritur. Hygieae statuam a Scopa, Nicerato, Bryaxi, Pyrrho & aliis sculptam & fictam, in templis Graeciae viderunt PAUSANIAS & PLINIUS Romae, de quibus JUNIUS conferri meretur. Satis haec sint de Statuis.

*) Edidi Berolini anno MDCCLVII. sine nominis mei mentione, Tentamen de artificiosa auri & argenti caelatura prisci aevi, in lingua vernacula, sub titulo: Versuch einer historischen Nachricht von der künstlichen Gold- und Silber-Arbeit in denen aeltesten Zeiten, in cujus Sectione III. opera artificum graecorum recensui. Animus mihi erat, tentamini secundo praeclarissima ex vasis antiquis relicta artis specimina, nec non ex nummis, gemmis, operibus anaglypticis & aliis, delineationes quasdam addere, ad rei & artis explicationem. Amore autem artium durante longo illo bello suppresso, praxi medicae me totum fere dedi, aliaeque animi distractiones, me ultra progredi hucusque impedierunt. Et supervacaneus nunc esset ille labor, cum celeberrimus & doctissimus *Winckelmannus*, evulgata artis antiquae historia, aliisque variis solide & rara artium cognitione scriptis editis, & adhuc edendis, partem illam felicissime implet, qui Romae degens optimis subsidiis plene & largissime instructus est.

Ignoſcas quaeſo, Benevole Lector, variis digreſſionibus ad quas artium cultus, veritatis amor, nec non quorundam hominum ſiniſtra opinio de genio, ingenioque gentis germanicae me ſeduxerunt. Ut diſſertationi colophonem imponam, alia pro tempore negotia jubent. Quaecunque vero in fine §. XXX. promiſi, in peculiari ſcripto: de Archiatrorum Comite, explicare conſtitui.

Supplementi loco unum adhuc addere placet. In paragrapho IV. *dixi*, aegrotorum curam plurimorum Equeſtrium Ordinum fuiſſe primum inſtitutum & officium, ſed ordinum equites quoque chirurgorum munus impleviſſe, ex ſcriptis Guidonis de Chauliac qui Seculo decimo quarto vixit, poſtea edoctus ſum. Varias vulnerum tractandi methodos, quae ſuo aevo in uſu erant, Autor recenſet & peculiarem methodum Equitum Teutonicorum, ſive Ordinis Hoſpitalium S. Mariae, ſequentibus deſcribit verbis: Les chevaliers Teutoniques s'étoient traveſtis en Chirurgiens, car la quatrième Secte eſt de tous les Gens d'armes, ou Chevaliers Teutoniques, & autres ſuivans la guerre; lesquels avec conjuration & breuvages, choux, huile, laine, panſent toutes playes, ſe fondant ſur cela, que Dieu a mis ſa vertu aux paroles, aux prieres & aux herbes.



